addunt, majus teſtimonium nos habere de DEO ex eo, quod eſt auctor juſtitiæ, & veritatis, quam ex eo, quod auctor naturæ, ut proinde dicatur, quod mandavit Deus nimis, aut valde, ut eſſent juſtitia, & veritas ipſius teſtimonia ſua, ſive ut de ipſo teſtimonia ederent. Profecto cognoſcetur potiſſimum DEI, & Chriſti dominium in judicio, quando ipſi *ſubjicientur omnia* a. Præceſſit diu ante in iſto eodem Pſ. b ſententia ſimilis, *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, Ibidem dicta proſunt intelligentiæ loci præſentis. Non ſine gravi pœna damnantur, ait Bernardus c, quæ non ſine grandi culpa violantur. Cypriani quoque tritum illud, ut quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Hugo Cardinalis conſiderat in teſtimoniis Dei hoc eſt, in præceptis, juſtitiam: quia omnia æque decernunt: veritatem, quia promiſſa reddunt; vel mandatum nobis juſtitiam, ut fiat in operibus: teſtimonia, ut cuſtodiantur à Judicibus; veritatem, ut prædicaretur à Prædicatoribus: vel juſtitiam judicantibus; teſtimonia credentibus; veritatem docentibus. Atque hæc nimis mandari, ne quid obſtet, nec ob ſcandalum intermittantur; quoniam

a 1. Cor. 15. 27. 28.
b verſ. 4.
c de præcepto & diſpen.
Grandis culpa gravem requirit pœnam

Scandala non meruunt doctor, judex, bona vita;
Juſtitia, vitæ, doctrinæ ſcandala cedunt.

Tandem obſervat mandari etiam à diabolo tria ut *ſit fortitudo*, ideſt, potentia *lex juſtitiæ*; d ut *nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra* e, ut ipſum, qui, quum *loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus* f; nempe mendacii, ſequantur omnes.

d Sap. 2. 17.
e ib. verſ. 8.
f Joan. 8. 44.

Tu mandaſti juſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis.) Hieron. *mandaſti juſtitiam teſtimonii tui, & veritatem nimis*. Alii *teſtimoniorum tuorum*. Quia nunc legimus עֵדֹתֶיךָ *bhedotheka*, Hieron. עֵדוּתֶךָ *bhedathcka*. Verti enim poteſt, ſupplendo præpoſitionem, *præcepiſti in teſtimoniis tuis juſtitiam tuam, & veritatem nimis*, aut *valde*, nam σφόδρα מְאֹד *meod* utrovis modo transferri monuimus alias. Juxta verſionem noſtram videntur appoſitivè ſumi juſtitia, & veritas; ut ſignificetur, quod teſtimonia, quæ Deus mandavit nimis, ſint juſtitia, & veritas: nimirum tam juſta, & vera, ut videantur ipſamet juſtitia, & veritas. Caſſiod. adverbium *nimis*, cum verbo *mandavit* dicit pertinere laudabiliter poſſe ſive ad juſtitiam, ſive ad veritatem; quia juſtitiam Dominum nimis mandare profutura diſtrictio eſt: veritatem vero nimis animis inculcare, cautela eſt. Bonaventura per *nimis mandata teſtimonia* innui vult nimiam Dei mandantis charitatem: inde vero fieri, ut ſint mandata nimis facilia, peccata nimis difficilia: judicium nimis terribile, ſcilicet propter nimiam mandantis dulcedinem, peccatoris ingratitudinem, judicantis, & vindicantis formidinem. Quærit Ambroſ. utrum nimis mandaſſe intelligere Deum oporteat, an nimiam veritatem? Quidni nimiam juſtitiam, nimia teſtimonia? Reſpondet, & nimiam veritatem, plenam laudis, & nimium mandare providentiæ, atque cautelæ eſſe: infirmos Deum noviſſe, ideo ſæpius admonuiſſe, ut non obliviſcentur. Placet magis mihi hoc ſecundum, quod & ſimilius eſt recitatis ex alio verſu verbis, *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Ubi tamen *nimis* referri poteſt & ad mandantem Deum, & ad cuſtodiam, quam mandavit. Porro mandare idem eſt, quod præcipere, ut etiam צִוָּה *tſavah*, atque διατέλλεσθαι: non autem ſignificat hoc loco *denunciare*, vel *per alium loqui*; etſi verum eſt, quod qui multifariam, multiſque modis olim Deus id fecit per alios: noviſſime fecit in Filio g: & ſic mandaſſe cenſetur nimis. In illyrico Pſalterio ſic extat, *Jubet juſtitiam conſilium tuum, & veritatem nimis*. Apollinarius autem ſic interpretatur,

g Hebr. 1. 1.

σεῖο δικαιοσύνην ἐπετείλαο μαρτυρίῃσι,
καὶ σθένος ἀτυφέλικτον ἀληθείης ἐρατεινῆς
Tuam juſtitiam mandaſti teſtimoniis,
Et robur firmum veritatis amabilis

Verſ. 140.) Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

Senſus loci.
h verſ. 47. 48. 97. 113. 119. 127. 140. 159. 163. 166. 167.

QUum tantopere, ac nimiopere etiam, Deus mandaverit ſua cuſtodiri adeo juſta, & vera teſtimonia, ſive præcepta, conſcius ea à ſe diligi; quod toties repetit in hoc Pſalmo h: non poteſt intra ſe concoquere: aut æquo animo ferre, quin etiam non poteſt non ægerrimè pati, dolere, indignari, excandeſcere, animo ipſo contabeſcere, languere, defici pro zelo, tamquam igne liquefaciente, atque conſumente, ab inimicis ſuis eadem (quod modeſtiſſimè loquens ait) tradi oblivioni, hoc eſt, negligi, violari proculcari: non tanti æſtimans privatas injurias, & inimicitias, quanti contemptum tantum Dei, & offenſam. Habet hanc etiam natura humana conſuetudinem, inquit Hilarius, ut ſi quando eorum, quos diligimus voluntati adverſari aliquos viderimus, zelo ejus, cui non paretur, utamur. Affert in exemplum & Phineis celebrem illum zelum i: & Chriſti, quem *zelus domus Dei comediſſe* k dicitur; addique poſſunt Elias l, Mathathias m, Paulus, qui *æmulabatur Dei æmulatione* n, & *incitabatur ſpiritus ejus in ipſo, quum videret idolatriæ deditam civitatem Athenienſem* o: & alii de quibus alibi meminimus. Eumdem vero zelum iſtum ſuum David jam prius declaravit in hoc ipſo Pſalmo p dicens, quod *eum defectio tenuerit pro derelinquentibus legem Dei*: quodque *iniquos odio habuerit*. In 138. quoque Pſalmo q nonne ait. *Qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi*. Rurſus inſtra Hilarius affert exempla zeli, doloris iræ verè piæ, & Chriſtianæ, quum quis unum ex Dei populo effici viderit ſæculi miniſtrum, & operarium diaboli, & vas mortis, & materiam gehennæ: quum Chriſtianum jejunii die luxuriantem conviviis viderit: quum inſolentem in fratres, miniſtroſque conſpexerit: quum diverſari in ſtupris ſanctificatum jam in Chriſto corpus arguerit. Cum cæſa Ambroſius à Phinee Madianitide comparat hæreticorum perfidiam gladii verbo interficiendam: bonum autem zelum, & utilem in Sacerdote præſertim eſſe, ne negligens, ne remiſſius ſit. Omnibus tamen fidelibus neceſſarium zelum aſſerit ut ſic, ſit verum, quod eſt apud Eſaiam r, *Zelus apprehendens populum ineruditum* ζῆλος λήψεται λαὸν ἀπαίδευτον: quoniam populus, qui erat eruditus in lege, nullum fidei habebat ardorem, nec charitatem, ſive *dilectionem, quæ fortis eſt, ut mors: nec æmulationem, quæ dura, ut infernus* ſ. Adjicit, *ex ore Dei tepidos evomi*, (ſed quod in Apocalypſi t de Angelo ſcribitur, non de Epiſcopo: quæ communior, & verior expoſitio eſt, verùm de vero Angelo ſumit) per zelum autem Dei, fidei vaporem, devotionis fervorem nos velut ſuavem cibum in Chriſto remolliri, & formari: ut nos ille in ſuo ore conſtituat, & quaſdam meritorum noſtrorum epuletur dapes devoretque, ac noſtri cibi ſuavitatibus delectetur: & nos ſapientia devoret, virtus hauriat, juſtitia recipiat; culpa in nobis portionem non habeat. Tandem docens Ambroſ. in Deo ipſo zelum reperiri u, & in Chriſto, hortatur, ut exemplo Chriſti projiciamus de domo noſtra fures, direptores, caupones, &c. lucra, quæſtus pecuniæ, emolumenta non aucupando. Bernardus x nigredinem ſponſæ, fuſcumve colorem y ad zelum ipſius refert, citanſque quoque hunc, & 53. verſum & alium ex 68. z erga illos, qui Dei legem prævaricantur; & decolorari à Sole ait eſſe, ignoſcere charitate fraterna, flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, uri ad ſcandala ſingulorum a. Gregorius b, quod *cutim* quoque Job c *denigratam ſuper ſe* deplorat, & *oſſa aruiſſe*, convenire ſcribit omnibus perfectis, & in virtute fortibus: qui dum infirmi ad iniquitatem perſiliunt, illi zeli ſui igne cruciantur. Auguſt. d torqueri homines juſtos ait à diabolo, ſceleribus impiorum hominum, ut Loth olim e, Paulum f, & Davidem, quem plus impius Abſalom extinctus, quam rebellis afflixerint g. Tunc Donatiſtas convenit hoc ſermone. Quia videmus vos inſenſatos, & tabeſcimus; quia infirmatos, & infirmantur; quia ſcandalizatos, & urimur; quia perditos, & lugemus. Hæc mala veſtra, quæ vos in æternum interitum mittunt amarius nos perſequuntur, quam illa, quæ à vobis noſtris corporibus, vel rebus, vel domibus aut baſilicis inferuntur. Iterum ſingularis illa Bernardi h expoſitio notanda, quo pacto Paulus i affirmaret, mundum ſibi crucifixum, & ſe mundo; videlicet, quia crucifixum mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipſe crucifigebatur ei per compaſſionis affectum: tantaque proſpiciens flagella, & mala in mundo, illis tam dirè cruciebatur, & torquebatur ac ſi cruci, & patibulo affixus eſſet.

i Num. 25. 7. 11.
k Joan. 2. 17. Pſ. 68. 10.
l 3. Reg. 19.
m 1. Mach. 2. 27.
n 2. Corin. 11. 2.
o verſ. 53.
p Act. 17. 16.
q verſ. 21. 22.
Cum cæſa à Phinee Madianitide hæreticorum perfidia confertur.
r c. 26. 11. ſecund. Lxx.
ſ Cant. 8. 6.
t Apoc. 3. 16.
u Zach. 8. 2.
x ſer. 28. in Cant.
y Cant. 1. 6.
z verſ. 10.
a Cor. 11. 26 [2. Cor. 11. 29]
b 20. moral. cap. 30.
c cap. 30. 30.
d 1. Contr. Gaudent. c. 21. & 22.
e Gen. 19. 5. & ſeq. 2. Petr. 2. 7. 8.
f 2. Cor. 11. 29.
g 2. Reg. 18. 33.
h ſerm. 7. de Quadrag.
i Gala. 6. 14.

Tabeſcere me fecit zelus meus.) Hieronym. *conſumſit me zelus meus.*) Alii, *diſſipavit, ſuccidit, confecit: conſumſit, enecavit, contriſtavit, oppreſſit, conſtrinxit, cadere, ac labi fecit*: ideſt, tanta me moleſtia, & angore affecit, ut pene mortem attulerit. Vocant etiam Hebræi conſtrictionem, ſeu contractionem nervorum, צוּמַת הַגִּידִין *tſumath hagghidin*.

ghid n, à verbo צָמַת *tſamath*, quod omnia dicta ſignificat. In pſ. 87. a vertitur *conturbandi* verbo; *terrores tui conturbaverunt me*: à Hieron. *oppreſſerunt*: in 72. b per verbum *perdendi*: in 68. c per *confortandi*, in 53. d & 17. e & 93. f & 142. g per *diſperdendi*, in 100. h per *perſequendi & interficiendi* i. Verba *tabeſcere me fecit*, & Græcum ἐξέτηξε denotant lentum quemdam defectum, & defluxum per modum cujuſdam colliquefactionis in cera, & in ſimilibus. Simplici Græco verbo dicitur in pſ. 67. k ὡς τήκεται κηρὸς ἀπὸ προσώπου πυρὸς *ſicut fluit cera à facie ignis*, ubi Hier. *ſicut tabeſcit* כְּהִמֵּס *chehimes*. Alii, *ſicut liqueſcit conſumitur*, &c. Intra hoc ipſo pſalmo l habetur idem verbum Græcum, & Latinum; *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam* ἐξετηκόμην. Sed aliud eſt Hebræum אֶתְקוֹטָטָה *ethKotatah*, quod Hieron. transfert *mœrebam*: In 138. m *ſuper inimicos tuos tabeſcebam* vertit idem *diſtabui*, ubi eadem, quæ modo dixi, extant verba Hebræum & Græcum: in 38. n *tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus* ἐξέτηξας תֶּמֶס *themes*: in 106 o *anima eorum in malis tabeſcebat* ἐξετήκετο תִּתְמוֹגָג *thithmogag*, Hieron. *conſumitur*: in 111. p *dentibus ſuis fremet, & tabeſcet*, quomodo etiam Hier. eſt vero τακήσεται & נָמָס *namas*. Arbitrantur aliqui hoc loco innui tabem febris lente, ac ſenſim conſumentis, qualis eſt hectica, vel phthiſis, unde vulgare proverbium *mi fate intiſichire*, ideſt, ſumma me afficis moleſtia. Malunt alii ἀτροφίαν indicari, quum quis ut ſcribit Celſus, q, aut minus, aut aviditate nimia plus quam debet, aſſumit, atq; ita vel quod deeſt, infirmat; vel quod ſuperat, corrumpitur. Parum autem refert quod Græcè hic ſit pronomen ſecundæ perſonæ σου, & Latinæ in Pſalt. vetere; *tabeſecit me zelus tuus*, quo etiam pacto eſt in Romano, ubi & apud Proſperum, & Caſſiod. legitur, *tabeſcere me fecit zelus domus tuæ*: item apud Hilar. *tabeſcere me fecit zelus tuus*: apud Ambroſium, *exquiſivit me zelus domus tuæ*: nam quum zelum bonum, & pium Propheta intelligat, potuit ſuum vocare, ſicut extat in textu Hebræo, & Chaldæo קִנְאָתִי *Kinathi* & טְנָנְתִי *tinnathi*, quia illo ipſe tabeſcebat: & potuit dici *zelus Dei*, quia à Deo immiſſus, & de Deo, circaque ipſum conceptus, ſive circa violatam legem ejus ab inimicis Prophetæ. In Illyrico Pſalt. ponitur: *contriſtatio tua*: eſt enim zelus cum triſtitia conjunctus, quod alius potiatur ea re, quam concupiſcis, vel quod impediat, aut impugnet bonum amici tui r, habetq; magnam affinitatem cum nemeſi, quæ eſt etiam triſtitia de bono alieno, quatenus judicatur aliquis eo indignus ſ quamvis iræ ſit permixta, & contineat indignationem. Symmach. expoſuit ἀπεσιώπησέν με ὁ ζῆλός μου *tacere me fecit zelus meus*. Vehemens namque triſtitia, & indignatio ſilentium quandoq; amarum imponit. Sed Hebræum verbum non indicat per ſe ſilentium Aquila ἐξώλεσέν με ὁ ζῆλός σου ἐξέτηξεν *conſumſit me zelus tuus*: quæ fuit etiam Hieronym. translatio recitata, excepto pronomine, quod eſt primæ perſonæ apud illum. Puto Ambroſium interpretando, *exquiſivit*, legiſſe quod omnino fuit facile pro ἐξέτηξεν verbum ἐξέζήτησεν. Præterea exiſtimo ex Pſal. 68. t *zelus domus tuæ comedit me*, duo nomina, *domus tuæ*: huc tranſcripſiſſe eumdem Ambroſium, & alios quos antea retuli; præter quos etiam Apollin. eſt, quod minor,

a v. 17.
b v. 27.
c v. 5.
d v. 7.
e v. 41.
f v. 23.
g v. 12.
h v. 5.
i v. 8.
k v. 3.
l v. 58.
m v. 21.
n v. 12.
o v. 26.
p v. ult.
q l. 3. c. 22.
Zelus cum triſtitia conjunctus.
r Ariſtot. 2. rhet. c. 11.
D. Tho. 2. 2. q. 36. art. 2.
Nemeſis quid.
ſ Ariſt. 2. rhet. c. 9.
t v. 10.

σῶν δωμάτων ἄχει κατατήκομαι οἴκων
Tuarum divinarum mœrore tabeſco domorum.

Auguſtinus mentionem facit de variis lectionibus præter noſtram, quam ſequitur, nempe; *zelus tuus* & *domus tuæ*, & pro *tabeſecit*, ut etiam ipſe legit; *comedit*, hocq; ait ex alio pſalmo ſumtum ſibi videri, nimirum ex 68. *zelus domus tuæ comedit me*; Monet denique quod ante dixi, nullam ingerere quæſtionem quod habeatur, *tuus* vel *meus*; Quid enim mirum eſt, inquit, ſi zelo ſuo quiſque tabeſcit? Quod vero habent aliqui, *zelus tuus*, ſignificat hominem Deo zelantem: ſed non repugnat ſi ipſe dicatur & *meus*. Confirmat verbis Apoſtoli dicentis u, non ſimpliciter, *æmulor vos*, ſed addentis, ne ſuam videretur æmulationem demonſtrare; *Dei æmulatione*; hanc enim ſuo ſpiritu fidelibus ſuis Deum inſpirare: quoniam amoris eſt, non livoris: tandem zelatum non quomodo ſponſam ſponſus ſibi, ſed quomodo amicus ſponſi eamdem zelatur amico: ſcilicet amore amicitiæ, non concupiſcentiæ.

u 2. Cor. 11.

Quia obliti ſunt verba tua inimici mei.) Significat צָרַי *tſarai*, *hoſtes, moleſtatores, vexatores mei*. *Verba Dei* ſæpius ponuntur, ſicut & *ſermones* pro præceptis. *Obliviſci* plus importat quam ſimplicem oblivionem, ſcilicet contemtum tantum atque rerum, & actionum præceptis oppoſitarum cumulum tantum, & adeo vitioſum habitum, ut de memoria quis penitus ea ejiciat: quemadmodum meminiſſe & recordari eſt eadem præ oculis haberi, in corde, in ore, in opere, ac plurimi facere. Quum Deus polliceatur populo Hebr. *inimicum fore ſe inimicis ejus* x bene ratiocinatur Hilar. nobis eſſe debere inimicos, quos tales Deo videamus eſſe. Ambroſ. autem; quia Judæorum populus ſub Davidis imperio erat, & quoniam gentiles, qui legem Domini neſciebant; verborum ejus obliviſci propriè dici non poterant, colligit intelligere Davidem de illis, qui Dominum in *propria ſua venientem, non* y *erant recepturi* hoſque teſtari graves hoſtes, hos inimicos ſuos; non qui ſibi eſſent; ſed qui Chriſto rebelles: juxta id etiam quod alibi z canit: *ſuper inimicos tuos tabeſcebam: juſto (profecto) odio oderam illos*: eo quod graviora putaret arma perfidiæ, quam pugnæ: quia nemo gravior hoſtis omnium: quam qui omnium lædit auctorem. Verùm id quidem, & huc etiam reſpicere aliquando Davidem non ambigo. At nomen צָר *tſar* haud equidem arbitror commodè dici de aliquo cum reſpectu ad Deum; quia, ut dixi, ſignificat eum qui vexat alium, & afficit aliqua tribulatione. Tametſi *moleſti* dicantur *aliqui Deo* a & *eum laborare* ſeu *ſervire in peccatis ſuis facere* b. Tandem non deſunt etiam Regi ex ſubditis inimici: & potuit generaliter David nunc loqui: ſive de ſe ipſo, antequam Rex eſſet: ſive de quovis juſto perſecutiones, & odia aliorum patiente.

x Exo. 23. 22.
y Joa. 1. 12.
z pſ. 139. 21.
a Eſa. 7. 13.
b c. 43. 24.

Verſ. 140.) Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud,

Senſus loci.

EX vivis flammis eloquii ſeu verborum Dei, ait zelum illum tantum, de quo priore meminit verſu, proceſſiſſe adverſus inimicos ſuos, qui quum proſequabantur odio ipſum, contra divinam agebant legem, atque auctorem illius Deum oderant: præterea extitiſſe in ſe ardentem amorem, & erga cuncta quæ Deus præcepit, & erga eumdem Deum illa præcipientem juſtiſſimè: ita ut nihil in iis non valde approbandum occurrere poſſit, ob ſanctitatem ac veritatem exactiſſimam quam in ſe habent, quia quodlibet auro vel argento in fornace probato & purgato ſimillimum eſt. Poſtremo demonſtrat ardorem zeli, quantumque flagraret inimicos impœnitentes adducere ad hoc quod ipſe flagrantiſſimè diligebat, ut ait Auguſt. Jam in pſalmo c alio appellata ſunt *eloquia Domini, eloquia caſta, & argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum*. Vocavit quoque Moyſes d *legem igneam in dextera* e *Dei*: tùm quia illuminat ſicut ignis ac purificat: tùm quia *finis* ac *plenitudo legis* ſive *præcepti eſt charitas* ſeu *dilectio*, quæ comparatur cum igne divino: ſed & ipſemet DEUS noſter *ignis conſumens eſt* f. Voluit vero ſimul Propheta inimicos illos ſuos, quos proxime ante memoravit damnare ſummæ ſtultitiæ; dum Dei verborum ſunt obliti; quaſi eorum ille etiam obliviſceretur aut irrita eſſe pateretur, vel quæ præcepit, vel quæ promiſit, vel quæ comminatus eſt. Excocta, inquit, ſunt, & ab omni mendacii ſcoria expurgata, optimeque comprobata. Hinc Euſebius g argumentum trahit pro quovis argumento, ex divinis & ſacris eloquiis extracto: ita ut in genere argumentorum ceterorum Principem teneat locum, abſque ulla prorſus permixtione falſitatis & mendacii tamquam ſcoriæ ſordiſque, & cum quo judicare poſſimus omnia & à nemine judicari. Origenes h item ait, ita examinatum eſſe hoc eloquium & argumentum, ut ne ſyllaba quidem ocioſa ſit *non jota unum vel apex præterеat ab eo donec omnia fiant* i. Videtur hos imitatus Hilarius, ut ſæpe ſolet Græcos in aliis imitari. Ardorem charitatis, quem operatur in nobis eloquium Dei obſervant hic innui Latini Enarratores, quaſi, ut loquitur Arnobius, appelles id amatorium, excludens amores mortiferos (quemadmodum ſcilicet minor majorem conſumit flammam) & vitæ æternæ amores includens. Auctor dictus Hieronymus attendit, quod ſicut peccatum conſumit, ita & peccantem, ſi convertatur, illuminat. Ambroſius quoque inducta de igne mentione; quem ſe Chriſtus, ut *mittere* k, *veniſſe* dixit, in eo mittendo ait, non jam ſimile Sodomito l incendium intendiſſe, ſed ut ſecretos mentium divinæ ardore cognitionis inflammaret affectus: ut vaporem fidei, & devotionis adoleret: ut cupiditatem virtutis accenderet; ut calefaceret: ſed ſola exureret peccata;

c pſ. 11. 7.
d Deut. 33. 2.
e 1. Tim. 1. 5. Rom. 13. 10.
f Deut. 4. 24. Heb. 12. 29.
g apud Auguſtinum.
h apud eumdem.
i Mat. 5. 18.
k Luc. 12. 49.
l Gen. 19. 24.

cata; ut mundaret animum: conſumeret errorem, ut ureret ad corrigendam conſcientiam peccatoris; non exureret, ut perderet: ut habetaret, ac extingueret materialium ſæva flammarum incendia: ſicut Hebræi hoc igne ſuccenſi fornacis ardentis vaporem nec timere, nec ſentire potuerunt *a*, denique ut mundaret: accenderet, illuminaret. Illuſtrat hæc omnia exemplis rubi uſti, non *b* ex uſti Jerem. qui *eloquium Dei ſermonemve* ajebat *fuiſſe ignem flammigerantem* c *in oſſibus ſuis*; Cleophæ, atq; condiſcipuli, qui *cor ſuum ardens, quum loqueretur eis Chriſtus* d *in via* ſponſi, cujus *labia ruſticula*, ſeu *vitta coccinea* dicuntur *e* ſimilia: quia in cocco ſpecies ignis, & crucis Dominicæ ſanguis irrutilat: & labia Domini paſſionem propriam loquebantur: ſignificatq; *reſticula* vinculum perſuaſionis: *coccus* cupiditatis ardorem ſcintillantem in animis audientium, vel indicium paſſionis Chriſti. Docet hunc ipſum cenſeri myſticè ignem, qui ardere ſemper jubebatur ante *f* Dominum: præterea illum, quo ſcribit Paulus *g* poſitum fuerit bonum fundamentum, Apoſtolicum aurum probari, morum vel operum examinari argentum: pretioſos lapides illuminari: fœnum autem & ſtipulam conſumi. Addere poſſumus *calculum forcipe allatum de altari*, quo Seraphim, ſic ab incendio appellatus, *os tetigit* i Eſaiæ. Item *aurum* illud *ignitum, & probatum, quod ſuadetur emi* in Apocalypſi k; ſponſam quoque cujus *liquefacta eſt anima: ut ſponſus* l *locutus eſt: ſpiritum* ſeu *ventum auſtrinum, & calidum, quo flante* m *fluunt aquæ nixque* ut Urbanus *n* Papa IV. obſervat; dicens animam, quæ adhuc eſt quaſi nix in monte ſuperbiæ congelata, ad calorem eloquii divini, quod vehementer ignitum eſt, liquefactam in vallem humilitatis celeriter & hilariter condeſcendere. *Fugiendum* o *a facie Aquilonis*, ne refrigeſcat *p* charitas, Pollicitus eſt Deus *miſſurum ſe Tribunos Juda, ſicut torrem ignis in lignis, & ſicut lapidem ignis in ſtipula, qui devoraret à dextris & à ſiniſtris omnes populos per circuitum* q: quod Cyrillus exponit, de Apoſtolis & omnibus Eccleſiæ præpoſitis, qui verbi prædicatione eſſent alios converſuri, & effecturi, ut *ſpiritui* r *& igni baptizentur*, & quiſquiliæ peccatorum, ſordeſque carnalitatis conſumantur. Profert alia ſcripturæ teſtimonia. *Aperientes os* ſ *ſuum* Filio Dei, qui *t* eſt ignis, nil mirum ſi tantæ flammæ eruperint. Proprietates ignis Areopagita multas tradit, transferens ad res divinas, in quibus eſt eloquium & ſermo. Eſt ignis natura ſplendidus, quandoque latens, ut in lapide pyritidæ: præcellit efficacitate ceteris elementis: omnia ſuperat domatque, ac in ſe ſe convertit: vim communicat ſuam cum his quæ propinqua ſunt: ſive parum ſint propinqua, ſive multum: renovat ſuo calore, atq; reviviſcere facit; ſplendore illuminat: quamviſve tegatur extrinſecus, retinet illuminandi facultatem; impediri nequit, quin ſeparet & ſecernat, quæ ſunt alieni generis, ut plumbum ab argento à carbone cinerem: quin congreget in unum, quæ ſunt ſimilia: quamdiu ſalva eſt ipſius natura, non alteratur: ut alterantur nihilominus aer, aqua: terra: fertur ſurſum in ſublime: celeriter penetrat; ab omni motu deorſum liber eſt, eodem continenter motu agitatur: cetera ſuo movet calore: nullo alio eget elemento, quemadmodum terra humore, quo partes illius contineantur atq; agglutinentur: aqua ſpiritu ſeu aura & vento, qui eam agitet: ſenſim, occultoque creſcit, negligitur, quum non apparet: ineſt omnibus: colliſu veluti quæſitus, de repente tamquam inſitus & ingenitus ſubjecto extat: rurſuſq; avolat ut cerni non poſſit, quemadmodum contingit in ſcintillis excuſſis ex lapide: tandem non poſſunt ei deficere, calor, uſtio, illuminatio. Facilis ad eloquium Dei applicatio ex ipſiuſmet eloquii teſtimoniis. Grevæus *u* ſpectat fumum, claritatem, cinerem, in re quæ utitur, ideſt in illo, qui eloquio divino inflammatur, compunctionem, hilaritatem cordis, mortis memoriam. Adhæc quod per id induratur cor lutuoſum: pium, ac hominis prædeſtinati mollitur. Deinde quod ignis res pretioſas, ut veſtes ſericas; fętere facit: aromata redolere: ideſt, humilitatem, omnemq; virtutem: quæ non æſtimatur paſſim tribulatione magis apparere. Aquã, inquit, ſiccat in alio, ideſt, concupiſcentiam: & in ſe ipſo, nempe in eo, qui dicit, nutritur, & ſplendeſcit, veluti arida materia paupertatis, ac nuditatis, miſericordia tamquam oleo, adipe, & ſimilibus. Nec diſplicet cum Ciconia ignitum dici eloquium paſſivè, hoc modo, quatenus id omnium perſecutionum flammis Satanas inſectatur. Has innuebat perſecutiones viſio rubi flammis *x* circumdati, atq; igneæ linguæ *cum ſpiritu vehementi*, ſive

a Dan. 3. 49. 50.
b Exod. 3. 2.
c Jer. 20. 9.
d Luc. 23. 32
e Cant. 4. 3.
Ignis ante Dominũ ardere juſſus.
f Levit. 6. 9.
g 1. Cor. 3. 13
i Eſa. 6. 7.
k Apoc. c. 3. 18.
l Cant. 5. 6.
m Pſ. 147. 18
n in pſ. 50.
p Zach. 2. 6.
q Mat. 24. 12
r Mat. 3. 11.
ſ Mat. 5. 2.
t Deut. 4. 24
Proprietates ignis.
u Iſai. 269.
x Exod. 3. 8.

vento, quando Spiritus *y* diſcipulis miſſus eſt. Ita quoq; ignem à Chriſto huc *z* miſſum Tertullianus *a* accipit, & conſtat crebrò ignem ſic ſumi. At juxta communiorem priorem ſenſum, eloquium Domini *quaſi facula ardet* in ore veri Prædicatoris, & ipſemet, ſicut Elias, eſt *quaſi ignis* b & *dat* Deus *verba ſua in ore illius in ignem* quemadmodum in ore Jeremiæ *c*, & ſicut Joannes eſt *lucerna ardens & lucens* d, & velut Apoſtoli, *lux mundi* calefaciens, ac illuminans; & ceu Joſeph, *inflammat ipſam* e, & inſtar ignis Eliæ omnia impoſita altari exurentis *f*, ut obſervat Ambroſ. *g*, & ut notat Philo *h*, ad inſtar flammei gladii *i*. In libro Proverbiorum k cognominatur *omnis Dei ſermo ignitus & clypeus ſperantibus in ſe*, quem clypeum vocat quoque Nahum *ignitum* l, ut *ignea inimicis tela* m *retundet*; & ceu ignitum telum in eumdem contorqueatur, atque in *ſerpentes ignitos* n. Rurſus in eodem libro vocatur *o argentum electum lingua juſti*, Relege dicta ad pſalmum undecimum, & decimum ſeptimum & ad caput ſecundum Actuum Apoſtolorum: Differit Jacobus Alvarez noſter *p* de vita ſpirituali, quo pacto Deus profectos inflammat, iniquis contrario, quos nomine glaciei, & gelu deſignatos Gregor. *q* & Job *r* docent. Exempla quoque affert Bernardi & Franciſci, in quorum etiam vultu divini quidam iſtius ignis ſplendor micabat, nec alia deſunt ſimilia exempla eorum, qui etiam ejaculari cœleſtes flammas pro verbis viſi ſunt; & præſertim Stephanus, cujus *ut Angeli faciem intuebantur omnes in concilio* ſ. Et Philo *t* ſcribit nonnullos correptos numine, non ſolum anima concitari, quaſi œſtro, ſed & corpus iis rubeſcere, ac incandeſcere gaudio interno prorumpente in exteriora.

Ignitum eloquium tuum vehementer. Hieronym. *probatur ſermo tuus nimis*. Hoc valet צרופה *tſeruphah*, & Chaldæum בנינא *renina, purum*. Verti quoque potuit, *purgatum, depuratum, & exploratum* eo modo, qui ſervatur in metallis, auro præſertim, & igne. Citatis pſalmis *eloquia Domini* ſimilia canuntur argento igne examinato, probato, purgato. Petenda inde, quæ faciunt ad vocum enucleationem, potiſſimùm verbi צרפ *tſaraph*, & πυροῦν, ſeu πυροῦσθαι. *Ignitum* hoc loco non ſimpliciter ſumitur, quod potius diceretur שרופה *ſceruphah*, non צרופה *tſeruphah*, ut exigit tamen octonarii litera צ *tſade*, ſed quod *igne probatum eſt, purgatum, examinatum*, quamvis in ſe non conceperit ignem, quem retineat, atque unde *ignitum* denominari, aut *igneum* abſolutè poſſit. Ut idcirco fatendum ſit, quæ de proprietatibus ignis applicantur eloquio, verbo, legi divinæ, vera quidem eſſe; tamen in propria notione Hebræi verbi fundata non eſſe. Græcum autem & Latinum utrumque ſignificant, tum id, quod igne purgatum fuerit, tum quod in ſe ignem conſervat. Sed primum congruit cum proprietate verbi Hebræi, nec *flammeum* dici poſſe, aut *ardens* hac ſalva, concedo, ut Genebr. tamen aſſerit. Admonet Hilarius, quod verbi Græci πεπυρωμένον proprietatem non explicat Latina translatio, quia id ſignificat, quod tamquam conſlarum igne purgatum ſit, ut metallum, quod poſt conflationem, ſordem in alienam, atque inutilem non continet. Deniq; quod in pſalmo 16. *u* dicitur *igne me examinaſti*, habetur Græcè, ἐπύρωσάς με, Hebraicè צרפתני *tſarapthani*, quod in 65. *x*. *Igne nos examinaſti ſicut examinatur argentum*, ἐπύρωσας ἡμᾶς ὡς πυροῦται τὸ ἀργύριον, צרפתנו כצרף כסף *tſaraphthanu chitſroph cheſeph*.

Et ſervus tuus dilexit illud.) Poteſt & ſumi pro *ideo*, cauſſaque reddi dilectionis erga eloquium Dei, quia ignitum eſt vehementer. Bene autem cohæret cum libera Dei ſervitute dilectio, quia iſta ſervus ſervitute ſervit, non neceſſitate, ſed charitate, ut ſæpe dictum eſt. Hilarius autem obſervat plus *diligendi* verbo ſignificari, quam *agendi*, quia operationi obedientiæ præſtat dilectionis operatio, & obedientia ſola plerumque terroris eſt, dilectio nonniſi ex devotæ mentis voluntate proficiſcitur. Nazianzenus *y* negat epiſcopali dignum munere, qui nondum caſtis, & igne examinatis Dei eloquiis corde incenſus ſit, hoc eſt, ut Elias *z* declarat, ab omni mendacio remotis, ab omni aliena materia puris, & ſecretis, & vitium tamquam fenum depaſcentibus.

y Act. 2. 3.
z Luc. 12. 49.
a 4. contr. Marc. c. 24.
b Eccl. 48. 1.
c cap. 5. 14.
d Joa. 5. 35.
e pſ. 104. 19.
f 3. Reg. 18. 32. & ſeqq.
g de Elias. 22.
h de Cherub.
i Gen. 3. 24.
k c. 30. 5.
l c. 2. 6.
m Eph. 6. 16.
n num. 21. 6.
o cap. 10. 20.
p tom. 1. p. 3. lib. 4. c. 25.
q 29. moral. cap. 25.
r cap. 38.
ſ Act. 6. 15.
t de temul.
u v. 2.
x v. 10.
Diligendi quam agendi verbo plus ſignificatur.
y Orat. 1. 164.
z ibid.

Verſ. 141.) Adoleſcentulus ſum ego, & contemtus, juſtificationes tuas non ſum oblitus,

Senſus loci.

NE nimirum elatus videatur, quum antea zelum ſuũ magnum pro Dei lege, contraque illam obliviſcentes, memoravit: ſeſeq; ipſam dilexiſſe dixit, eſtimando vim ejuſdem igneam, & efficaciſſimam: nunc appellat ſeipſum adoleſcentulum, ſeu minorem ætate, quam ſuos illos inimicos, atque perſecutores, à quibus deſpectui habitus ſit, quod ſimul cum annis, uſu, experientia, civili adminiſtratione, ſuperiores eſſent opibus, & honoribus ac etiam ſapientia excellere viderentur: nihilominus inſinuat, ſe quod in tantilla ætate, tamque humili conditione, oblivioni non tradiderit juſtificationes Dei, & præcepta: ſed ea diligenter ſtuduerit & intelligere, & exequi ejuſdem Dei favorem expertum: ita ut videl. prælatus fuerit: tùm ceteris fratribus natu grandioribus *a*: tùm giganti *b* quem ſtravit: tùm ipſimet Regi Sauli, aut ſpreverant, & perſequuti eum fuerant. Hoc quidem Sauli Samuel objecit, *quum eſſet parvulus in oculis tuis, caput eſſe factum in Tribubus Iſrael, & unctum in Regem ſuper Iſrael* c: quia vero *abjeciſſet ſermonem Domini, à Domino abjectum fuiſſe, ne eſſet Rex* d. Ingens obliviſcendi Deum, negligendique mandata ipſius, & ſeſe contra illum efferendi occaſio eſt, copia rerum, affluentia bonorum, ut Deus ipſe admonet populum ſuum, ſibi ut caveat *e*. Tradunt hunc Græci ſenſum ut litteralem. Nec omittit alium, qui myſticus eſt, Euthym. quemque ferè ſolum aſſignant Latini, demto Hilario, & Ambroſio, (qui typum etiam Chriſti Davidem faciunt, & Chriſtoque hunc eumdem iſtius verſus tribuunt ſermonem) de populo Gentili, qui novus eſt, ac veluti frater junior, aut *renovatus in aquilæ juventutem* f, per Baptiſmum, atque ab antiquo Judæorum populo, ſeu fratre majore contemtus, & neglectus *g*: tamen ſupra eum divinam legem intelligit, obſervatq; Eamdem iſtam ſententiam apte Hilarius ad Jacob, qui fratrem Eſau majorem præceſſit: Ambroſ. ad Joſephum accommodat, venditum prius à natu majoribus, iiſdem deinde prælatum *h*: ſimulq; inſtituit comparationem in iis, quibus excellit Eccleſia ſupra Synagogam: quæ comparatio, & antitheſis longiore inductione confirmari, & illuſtrari poſſet. Quod ait Uugo, ſubtile magis, quam propoſito congruum judico, Davidem objectioni occurrere, cur cui eloquium Dei dixerit ignitum: & ſe, qui ſervus Dei ſit, diligere illud, non accendat hoc eloquio inimicos ſuos: nimirum quia adoleſcentiam ipſius contemnebant *i*. Placet ejuſdem tropologia de juvene, qui ſe à prædicatione excuſet, eo quod non ſit ætatis maturę, tamen eam potius adoleſcentiam contemni, quæ non ſolum conſiſtat in ætate, ſed etiam in ſcientia, præſertim vero in vita à qua dicitur *quis puer centum annorum* k, triplicem conditionem ſcientiæ, famæ, virilis ætatis innui verbis Eccleſiaſtici l, *Lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem*, poſtremo ætate minore prædito nihilominus loquendum, ſi præcipiatur id facere *m*, ſicut Jeremias *n*, & Daniel *o* fecerunt, addi Timotheum *p*, cui commendatum, ut eſſet exemplum fidelium in verbo, in converſatione, in charitate in fide, in caſtitate. Quamquam Timothei νεότης dici poſſet *juventus*, nec rato pro *juventute adoleſcentia* ponitur, ut de Paulo ipſo in Actis Apoſtolicis *q*, & *juventutem* legunt in citata ad Timotheum epiſtola Cyprianus *r*, Auguſt. *ſ*, Ambroſius, & alius in ejuſdem commentario, ubi legendi præterea Enarratores alii, ac Ignatius *t*, & Hieronym. *u*, de non contemnenda junioris Epiſcopi ætate.

Adoleſcentulus ſum ego.) Hieronym. *parvulus*. In Romano Pſalterio, & apud Hilarium, putatum Hieron. Arnobium, Caſſiodorum, *adoleſcentior*. Apud Auguſt. & in vetere Pſalterio, *junior*. Apud Ambroſ. *juvenis*, importat comparationem νεώτερος, & ἐβητῆρα, *puberem* Apollinarius transfert. In pſalmo 67. *x*. Beniamin *adoleſcentulus* cognominatur hac ipſa voce Lalina, & Græca, atque Hebræa צעיר *tſahhir*, putantq; nonnulli Paulum eo reſpexiſſe, quum ſe appellavit *minimum Apoſtolorum, & abortivum* y, ut qui eſſet de tribu eadem. In verſu 9. iſtius pſalmi pro *adoleſcentior*, & νεώτερος, eſt aliud nomen Hebræum נער *nahhſar*, in Geneſi *z* qui dici, ut etiam *adoleſcentulus*, eſt Græcè νεανίσκος, Hebraicæ ילד *ieled*. Non aſſentior Titelmano, & Genebrardo hic non eſſe nomen ætatis, ſed conditionis, ſive ſtatus & humilitatis, nam Latin. nomen *adoleſcentuli* ad ætatem tantum pertinet, quidquid ſit de aliis, ex quibus etiam Græci, non

a 1. Reg. 16. 12. 13.
b c. 17. 26. & ſeqq.
c c. 15. 17.
d v. 23.
Affluentia bonorum & rerũ copia, obliviſcẽdi Deũ, & negligendi ejus præcepta præbet occaſionẽ.
Senſus myſticus.
e Deut. 8. 11.
f pſ. 102. 5.
g Luc. 15. 25. & ſeqq.
h Gen. 37. & 40. & ſeqq.
i 1. Tim. 4. 12
Tropologia
k Eſa. 65. 20.
l cap. 26. 22
m Eccleſ. c. 32. 10
n cap. 1. 7.
o cap. 12. 45
p 1. Tim. 4. 12
q cap. 7. 57.
r l. 3. ep. 9.
ſ ep 64.
t epiſt. ad Magneſ.
u epiſt. 104.
x v. 28.
y 1. Cor. 15. 8 9.
z c. 4. 23.

occurrit exemplum niſi pro juniore, & noviore, Hebr. vero potius accipitur pro minore ſecundùm dignitatem, & viliore, minoris auctoritatis, eminentiæ, quamvis ætatem quoque minorem deſignet interdum, ſed ſolet minor ætate adhucque adoleſcentulus parvi, fieri: ob imperitiam, inexperientiam, & immaturos mores, quomodo concedi poſſet *adoleſcentuli* quoque nomen hic uſurpari, præſertim propter aliud vocabulum, quod ſtatim ſubjicitur.

Et contemtus.) Hieronym. *contemtibilis*. Propriè ſignificat נבזה *niuzeh*, & ἐξουδενωμένος *contemtum*, ſed plus eſt eſſe contemtibilitatem, quia non contemnendus, ſeu minime dignus contemtu contemnitur aliquando, dignus, inquam, ſecundùm æſtimationem utilitatis naturæ, aut fortunæ, ut vulgo loquuntur, aut morum. Videtur hic intelligi de pravo judicio contemnentium quos non probant bonos mores, aut quam oderunt in ſeipſis, & defugiunt humilitatem, ac utilitatem, undecumque naſcatur, ſeu ex natura, ſeu ex forma, &c. quamque in aliis vituperant, & reprehendunt. Hoc ſibi vult, quo utitur Apollinarius, nomen ἐλεγχθεὶς, *ignominiæ* ac *reprehenſioni expoſitus*. Nec vero diſplicet interpretari, Davidem nunc modeſtè cum Deo loquentem, appellare ſe in conſpectu ipſius adoleſcentulum, & contemtum plane puerum, & infantem, indignum quovis munere, dignum, quem Deus deſpiciat, & rejiciat, nihil meriti objicientem, niſi quod ſentiat in ſe vigere memoriam juſtificationum, & judiciorum ipſius, in quibus, inter alia, continetur, quod humiles non contemnat, vel refutet, *Ut jumentum factus ſum*, dixit idem alibi *a*; *apud te*, & tamen *ego ſemper tecum*, tui numquam oblitus, numquam tuo favore deſtitutus. Favet in Commentario longiore Bonaventura, interpretans adoleſcentulum humilem in oculis propriis, contemtum etiam in alienis. Magna, raraque laus in adoleſcentiæ tam lubrica ætate, in qua Salomon *viri viam penitus ignorare ſe*, vir ſapientiſſimus *b*, negavit, juſtificationes Dei non obliviſci, & ut gratulans quibuſdam ſcribit adoleſcentulus Joannes *c*, *vincere mundum*, denique, ut Latini loquuntur, non adoleſcentiari.

Juſtificationes tuas non ſum oblitus.) Hieron. *ſed præcepta tua non ſum oblitus*, פקדך *pikkudeka* δικαιώματά σου. Tenaciter David retinebat memoria divinam legem, ſermones, judicia, juſtificationes, mandata, tam crebro id vel promittit *d*, vel feciſſe inculcat in hoc pſalmo *e*.

a pſ. 72. 22.
b Pro. 10. 19
c 1. epiſt. 1. 13. 14.
d pſ. 118. 16. 93
e v. 30. 61. 83. 109. 141 176.

Verſ. 142.) Juſtitia tua, juſtitia in æternum, & lex tua veritas.

Senſus loci.

QUis adeo ſit ſtultus, ut mortalium, ac brevi periturorum curet contemtum hominum, quod, ut deſpiciatur ab improbis, ac habeatur puero, vilique perſonæ ſimilis, deponat de memoria juſtificationes Dei, curam abjiciat illas perfectè obſervandi? Nam Deus, quod ſecundo dictum eſt verſu præſentis octonarii, *mandavit juſtitiam teſtimonia ſua, & veritatem ſuam nimis*, juſtiſſima lex ipſius, eſt & æterna juſtitia, immutabilis, invariabilis, indiſpenſabilis, eſt item veritas nihil continens falſi, non fallens, ſpe non fruſtrans eam obſervantes, non falſo, aut ficte comminans pęnas prævaricantibus, quum in legibus humanis non pauci ſæpe his oppoſiti defectus deprehendantur. Non decet, ut rei nos talis, ac tantæ, & perpetuæ capiat oblivio, quæ etiam oblivio non æternarum, perpetuòque duraturarum ſolet eſſe, ſed præteritarum. Quia tamen poteſt quis cogitationem non ſuſcipere de æternis, & obliviſci, ut de illis cogitet, idcirco non ſolum teſtatur David *f*, ſe memorem fuiſſe dierum antiquorum, verum etiam ſe *annos æternos in æternos in mente habuiſſe* g. Videri poteſt præterea idem noſter Propheta, ut indicant Hilarius & Ambroſius, ſignificare zelum, memoriam, amorem legis, cuſtodiamque; debere in nobis eſſe perpetuam, fidelem, accuratam, non perfunctoriam, temporariam, brevem, in uno tantum, vel altero opere, quoniam Dei juſtitia æterna eſt, ac æterna proponit tùm præmia; tùm ſupplicia, qua ipſa in re innuit idem David nihil eſſe dictum zelum, amorem, memoriam, cuſtodiam legis, quanta quanta demum ſit, ſi comparetur juſtitiam, & veritatem Dei, quoniam æque ille bonos, & malos ſe beneficium præſtat, nulla in re non ſervat juſtitiam, & veritatem. Aliqui nonnulla opera juſtitiæ faciunt, ait Ambroſius, ſed non æter-

num

f pſ. 142. 5.
g pſ. 76. 6.

num manentia, non magna, digna remuneratione per-
a Luc. 12. 16. c. 16. 1. petua, ut divites illi, quibus abundaverunt divitiæ *a* in
hoc ſæculo, fortaſſis *remunerationis* nomine: quidam fa-
ciunt opera aliqua, quæ remunerationem ſempiternam
mereantur: verùm non continua, ſed rara: nonnulli be-
ne in una ſe gerunt virtute: deficiunt ab illa: multi quo-
que juſti plerumque graviter deliquerunt, ſicque non ha-
bent æternæ fructum juſtitiæ, ut ſcilicet poſſit affirmari
juſtitiam in ipſis *in æternum fuiſſe*, ideſt, numquam defuiſ-
b Eph. 2. 3. ſe. Certè *naſcimur omnes filii iræ* b, ac proinde vel pro-
pter ſolum originale peccatum nequit juſtitia noſtra æter-
na cenſeri: hoc eſt, quod numquam fuerimus ſine illa.
c v. 16. Jam verò *lex Dei veritas eſſe*, dicitur, non tantum, ut di-
xi, quia verax in omnibus, ſicut & prius *c* dicebantur *om-
nia mandata veritas*: ſed præterea, quatenus accipitur
ſpiritualiter, & ad res ſublimiores deſignandas refertur:
lex inquam vetus, quam idcirco negat Ambroſius nunc
d Joa. 7. 14. apud Judæos eſſe, quia non recipiunt veritatem: hoc eſt,
e Heb. 9. 24. legem ſpiritualiter. Vocat Apoſtolus *d legem ſpiritualem*,
f cap. 12. 27. & ait in vetere fuiſſe *exemplaria verorum* e: *translato nunc
h c. 1. 16. ſacerdotio, legis tranſlationem factam* f, *tranſlationem mobi-*
lium tamquam factorum o ut maneant ea, quæ ſunt immo-
Obſervatio Ambroſii. *bilia* g. Scribit etiam Joannes *h*, *quod lex quidem per Moy-
ſen data eſt: gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.*
In quibus verbis Ambr. obſervat quod πρὸς ἀνταπόδοσιν le-
gis, retulit Evangeliſta, veritatem: nam quum, inquit,
ſit *autem*, disjunctio, *gratiam autem & veritas*, intelli-
gendum eſt disjunctionem ideo interpoſitam, quaſi veritas
fuiſſet in lege, non fuiſſet gratia facta per Chriſtum. Ego
tamen hujuſmodi disjunctionem cum primo congruentem
nullibi adhuc reperire potui. Adhuc videor alium ſenſum
ex Grecis eruere, præſertim ex Euthy. & Niceph. Blem.
quem Deus juſtificet, hunc re vera juſtè, ac in æternum
juſtificari, quantum videlicet ex Dei pendet voluntate,
ac ex vi collatæ juſtitiæ: illum, qui humano tantum judi-
cio juſtus habetur, revera talem non eſſe, nec niſi dumta-
xat ad tempus talem ab hominibus æſtimari. Ex quo col-
ligitur negligenda judicia hominum; ſi nos adoleſcen-
tulos & contemtos judicent, atq; *pro minimo nobis eſſe* debe-
re, *ut ab iis judicemur*, aut *ab humano i die* dummodo nos
i 1. Cor. 4. 3. k 2. Co. 10. 18. juſtus judex *Deus commendet* k, *& laus ſit nobis ab eo* l. Si
l 1. Cor. 4. 5. enim ille juſtificet, *quis eſt qui condemnet* m? Elias Cre-
m Rom. 3. 14. n num. 170. tenſis explanans primam Nazianzeni orationem *n*, affir-
mat, & id Nazianz. innuit, de Chriſto dici hanc ſenten-
tiam, quod ſit *juſtitia ipſa in æternum*, quod *lex & veritas*.
o in Oſee c. 2. num. 28. Cæterum Cyril. Alexand. *o* hinc infert perpetuitatem legis
Evangelicæ, quam vocat Deus apud Oſeam *p* deſponſa-
p c. 2. 19. 20. tionem in ſæculum, atque indicari verbis iſtis manifeſtè:
neque in ſempiternum manere, quæ lege traduntur, trans-
lata umbra in veritatem: neque veritatis decus in litteris
legalibus poſſe à quoquam perſpici, quia erat lex umbra,
q in Abac. 3. num. 48. & figura. In eodem ſenſu accipit *q*, quæ Abacuc *r itinera*
r cap. 3. 8. canit *æternitatis*, de ſermonibus Chriſti, quæ ille in per-
petuum confirmat, antiquiore & legali mandato vetera-
ſcente: hoc die Davidem in ſpiritu exclamaviſſe ad Do-
minum noſtrum Jeſum Chriſtum: quoniam non manſerunt
umbratica illa; ſed ceſſarunt typi, ac fixa & ſtabilia ſunt
ſ in Eſa. c. 65. quæ erant Chriſti, & in omne ævum immobilitatem ha-
bent: Denique non alia, inquit *ſ*, lex dabitur, quæ Evan-
t c. 65. 22. gelicorum oculorum virtutem in melius commutet, id no-
u ſerm. 63. in Cant. mine Dei Eſaiam *t* velle, quum ſcribit, quod *ſecundùm dies
ligni, erunt dies populi*. Bernard. *u* converſa oratione ad
Deum, ait, *juſtitia tua, juſtitia in æternum*: quid lon-
gius æternitate? & te pariter & me operiet largitur larga,
& æterna juſtitia. Et in me quidem *operit multitudinem
peccatorum*: in te autem Domine, quid niſi pietatis the-
ſauros, divitias bonitatis? quaſi David alio quodam ſen-
ſu intelligatur petere juſtificationem ſuam, *quod dilexe-
rit eloquium ignitum Dei, nec oblitus fuerit juſtificationes
ejus*.

Juſtitia tua, juſtitia in æternum.) Hieronym. *juſtitia
tua, juſtitia ſempiterna*: εἰς τὸν αἰῶνα לעולם *lebbolam*,
Hilar. *juſtitia tua in æternum*, ſcilicet, quæ bis *juſtitia*
repetitur, eam plurali numero ſemel expreſſit, ſed majo-
rem habet emphaſin ea repetitio; perinde eſt, ac ſi dice-
retur, quod juſtitia Dei ſola meretur abſolutam appella-
tionem *juſtitiæ*: idque quoniam exiſtit in æternum, per ſe,
ac vi ſua: nam ſecundùm participationem juſtitia etiam
ſeu eleemoſyna hominis juſti, & miſericordis *manet in ſæ-
Epitheta juſtitiæ. x Pſ. 111. 9. culum x ſæculi*. Epitheta *juſtitiæ* ſunt, immobilitas, immu-
tabilitas, incorruptio, immortalitas, perpetuitas: quam
rem ſymbolis, & hieroglyphicis, nobis profani quoque

A ſcriptores: non paucis deſignaverunt, ut palmæ, virgi-
nis, heſperi, aut luciferi, Solis, auri, &c. Divinæ ju-
ſtitiæ potiſſimum congruunt; epitheta illa, & ſymbola.
Bis autem nominata innuere poteſt, illam quæ verſatur in
præmiis æternis, & quæ in pœnis. Bonaventura ſumit
de juſta ſententia condemnationis & juſta ſententia conti-
nuationis, & ſequens membrum, de veritate confirmatio-
nis. Maxime communem hanc ſententiam ſumimus, de
juſtitia potiſſimùm Evangelica. *Salus mea in ſempiternum
erit*, ait Deus in *y* Eſaia, *& juſtitia mea non deficiet, ſalus
mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea in generationes gene-* y c. 51. 6. 8.
rationum. Tradit quoque Daniel *z* ſibi revelatum, quod z c. 9. 24.
*conſummanda erat prævaricatio, & finem accepturum pecca-
tum & dolenda iniquitas, & adducenda juſtitia ſempiterna*.
Metri cauſa ſemel tantum juſtitiam expreſſit Apollinar.

Et lex tua veritas.) Non dubito lapſu memoriæ alicubi
Cyrillum Alexandrinum *a* λόγον poſuiſſe, qui conſtan- a in Oſe. c. 2. num. 28.
ter eſt apud omnes νόμος, ac Hebraicè תורה *thorah*, *lex*: b in Abac. 9.
non autem *verbo* ac *ſermo*. Idem alibi νόμος *b* ponit. Ni- 3. num. 28. & in Eſa. c. 65.
mis anguſtè Bonaventura, quem prius retuli, legem hanc,
B quæ *veritas* dicitur, de comminatione accipit, quam
Deus confirmet ſua auctoritate. Generalior propoſitio
eſt, ſatis antea & verſu 86. declarata. Chriſtus, qui ſe-
ipſum *veritatem* nominavit *c*, *ſpiritum* promiſit *veritatis* c Joa. 14. 6.
d, *veniſſe ſe* dixit, ac *miſſum*, *ut teſtimonium perhiberet* d ibid. verſ. 17. & c. 15. 26.
e *veritati*. Patri proteſtatus eſt, quod *ſermo ipſius eſſet*
veritas f. e c. 17. 17.

Verſ. 143.) Tribulatio & anguſtia invenerunt me: man-
data tua meditatio mea eſt.

JUſtitia æterna conveniens Deo: ipſa in ſe lædi ac viola-
ri non poteſt: quando autem ad æternam quoque vi- Senſus loci.
tam juſtus evolaverit, manebit ejus *juſtitia in ſæculum* g
ſæculi: tantiſper dum hìc vivitur, juſtitiæ Dei & hominis g Pſ. 111. 9.
juſti; quum eam tueri velut reſiſtitur. Ille ſi vero ipſius ze-
lo accenditur: ſi ſeriò diligit, ſi non obliviſcitur, quantiſ-
vis tribulationibus & anguſtiis, etiam ex improviſo ve-
C xetur: attamen ſemetipſum ſuſtentat, & ſolatur medita-
tione juſtitiæ ejuſdem, atq; mandatorum divinorum. Be-
ne occupatum in conſideratione, ac in exercitio Dei man-
datorum, incurrentia veluti caſu mala, minimeq; prævi-
ſa, vel etiam quaſi clandeſtinè adorientia, non perturbant;
quia paratum ſemper inveniunt. & veritate, de qua pro-
xime facta mentio eſt, tamquam ſcuto circumdatum, ita
ut nihil timeat *h*, nec de animi tranquillitate, vel jucundi- h Pſ. 90. 50.
tate dimoveatur. Hæc mandata homini juſto in hac mo-
leſta peregrinatione ſunt vice fidorum & ſapientum ami-
corum, aut liberalium facultatum, quæ judicio philoſo-
phorum pro levamento, ſolatio, præſidio adverſus vitæ
mortalis ærumnas valent. In pſalmo *i* 114. ait David *ſe tri-* i v. 3.
bulationem, & dolorem inveniſſe. Ibi oſtendimus quid inter- Invenire tribulationem & dolorem, & ab his inveniri, quid interſit.
ſit, hæc invenire, & ab his aut ſimilibus inveniri. Ambr.
conſiderat tribulationem, & neceſſitatem ſive anguſtiam,
quatenus hic dicitur, quod inveniant juſtum quaſi prius
ipſe quærerent illum, tamquam gratia ad eum coronan-
dum: ait item, eaſdem, ut juſtus illas inveniſſe *k* di- k ſupra.
citur, prius ab ipſo quæſitas eſſe, quum ſit ipſe etiam di-
D gnus, ut ab iis quæratur. Dicto illo pſalmo, ſatis multa
ſunt dicta pro intelligentia ſententiæ præſentis tùm litte-
rali, ſecundùm quam *invenire & inveniri* non differunt;
tùm myſtica, Hilar. vocem hanc docens eſſe ſemper viri
fidelis debere, urgeant licèt pœnæ, intententur exilia, pro-
ſcriptiones adhibeantur, mortes non tantum inferantur,
ſed cum pœnarum ingeniis innoventur. Videtur mihi in
inveniendi verbo, exquiſitam deprehendiſſe mortis, ac tor-
menti artem, rationem, modum, inventionem, ut effugi
non poſſit; ut ei etiam juſtus ſuccumbere debere videatur:
ut eum circumdent, ac tantum non obruant, & opprimant.
Arnob. membrum ſecundum non accipit, ut remedium
tribulationis & anguſtiæ: ſed tamquam cauſſam, cur illæ
juſtum adoriantur, & à dæmonibus aliiſque concitentur.
Ideo ait ille, ſic enarrans: *me tribulatio & anguſtia inve-
nerunt*, quia *mandata tua meditatio mea eſt*: non enim
faciunt tribulationes & anguſtias dæmones: niſi his quam
maxime, qui mandata Domini meditantur.

Tribulatio & anguſtia invenerunt.) In vetere Pſalte-
rio, & apud Ambroſium, Auguſtinum, Proſperum; ſe-
cundo loco eſt, *neceſſitas*, apud Arnobium, Caſſiodorum,
pluraliter, *anguſtia*, in Bibliis Regiis, Complutenſibus,
& aliis.

& aliis. Græcè nomen utrumq; in multitudinis numero
ponitur θλίψεις καὶ ἀνάγκαι, *tribulationes, & neceſſitates*:
in emendatis tantum ſecundùm: quo etiam pacto in Il-
lyrico Pſalterio, apudque Apollinarium, qui priore loco
μόχθον habet: ideſt, *laborem*. Hebræa ſunt ſingularia
צר ומצוק *thaſar umatſok*. Non puto tribulationem ut vo-
luit Hugo, eſſe exteriorem, anguſtiam interiorem, &
interius, & exterius dici tribulatio poteſt, atque anguſtia,
ſive neceſſitas. Quid ſit autem quod tribulatio ſive affli-
ctio, & anguſtia, ſive neceſſitas quempiam inveniant, jam
a verſ. 3. monui dixiſſe me pſ. 114. *a*, & eſt etiam veluti circum-
dare, atq; circumvallare; ut non detur effugio locus: aut
ſimpliciter dicuntur invenire, quando ſunt præſentes, ac
præ oculis & manibus quodammodo contrectantur. Hac
b cap. 19. 25. ratione quod in Geneſi *b* legimus, *tolle uxorem, & duas*
i verſ. 16. 24. *filias quas habes*, ἃς ἔχεις, extat Hebraicè הנמצאות *ban-*
48. 70. 92. 117 *nimtſaoth inventas*. ſeu *quæ inventæ ſunt*: ubi Paraphra-
ſtes addit מהימנן עמך *mehemenan hhimach fideles tecū*.

Mādata tua meditatio mea eſt.) Hieron. *voluptas*, apud
Trevetum, *delectatio*. Sed corruptè ſine dubio apud Fa-
brum & Victorium *voluntas*: quem errorem potuit Vin-
centius Ciconia videre; quum alioqui bene obſervet ſo-
lere alibi Hieron. *voluptatis* nomen reddere pro שעשע
ſciabbaſcivabh, dicere potuit etiam *delectationis*, quod
idem valet. Id aliquoties occurrit in hoc pſal. *c*, ſimul
cum verbo שעשע *ſciabbaſciabh* & μελετάω, ac μελέτη.
Auctor commentarii ſub Hieronymiano nomine, illam
hic meditandi notionem ſumſit, quæ pertinet ad ſonum
vocis, Quamlibet, ait, tribuletur in pœnis, coarctetur in
vinculis, vox ſemper libera, Dei mandata meditatur aſ-
ſidue: Expoſuit etiam Apollinar. λιγαίνειν *canere*. Con-
gruit ea notio cum alio verbo Hebræo הגה *hagab*, & no-
mine הגה *hegheb*: & ita cum aliis quæ ante dixi. Habet
nunc formam pluralē nomen שעשעי *ſciabbaſciubbai*.
Sed Lxx. ac Hieron, legerunt in ſingulari שעשעי *ſciab-
baſciubbi*. Euthymius & Nicephorus agnoſcunt in me-
ditatione mandatorum, ſignificari à David de conſolatio-
nem, ac levamen: quaſi diceret, quo erant αἱ ἐντολαὶ τοῦ Θεοῦ
παρηγορούμεναι, καὶ ἄλγος ἐπικουφίζουσαι, *mandata Dei conſolan-
tia, & mœſtitiam allevantia*.

Ver. 144.) Æquitas teſtimonia tua in æternum; intel-
lectum da mihi, & vivam.

Senſus loci. HÆret valde hoc Davidis in memoria, quod teſtimo-
nia, ſeu mandata, divina, perpetua ſunt, numquam
peritura ſeu deſitura; numquam proinde obliviſcenda vel
d verſ. 8. negligenda. Idipſum jam dixerat verſ. 2. & 6. iſtius octo-
narii, & in pſ. 110. *d* affirmaverat *Dei mandata omnia
fidelia eſſe, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in verita-
te & æquitate*; utpote, quę numquam deflectant ab ęquo
& juſto: ſemper præſtent, quod proponunt: retineant
perpetuam fidelitatem & ęquitatem. Repetit adhuc hìc
tertio: ut confirmet meritò ſe in iis, & ex iis voluptatem,
atque delectationem capere; quod meditatio precedentis
verſus ſignificabat: quo autem numquam ſit delectari
e verſ. 34. 73. 125. 169. deſinat, & ut vitam lætiorem, ac feliciorem degat, tùm
in præſenti tempore; tùm æternam in futuro, poſtulat,
quod in hoc ipſo pſalmo ſæpius etiam fecit *e*, *intellectum
ſibi dari*, hoc eſt, practicam notitiam teſtimoniorum ac
f verſ. 77. g verſ. 116. mandatorum Dei ſignificavit quoque prius; pendere vi-
tam ſuam à miſerationibus Dei *f*, & ſi *ſuſciperetur ab ipſo
ſecundùm eloquium ejus* g. Si ſemel deſerat eum Deus,
quod meretur is, qui deſerit prior ipſum, illius non cuſto-
diendo precepta, futurum ut continuo pereat, atq; moria-
tur. In intelligentium rerum ſerie homo eſt; vitam intel-
ligendo traducit. Refert, ut benè intelligat, intelligendiq;
facultate non abutatur; ſed ſtudeat à Deo primo inter in-
telligentes, quiq; abſolutè νοῦς eſt, *mens* ac *intellectus*, in-
telligentiam impetrare: ſive, ut loquar verbis Sapientis,
h Eccl. 1. 7. *diſciplinam ſapientię* h, *ſcientiæ religioſitatem* i, *plenitu-*
i verſ. 18. 26. *dinem ſapientiæ* k, *coronam ſapientiæ* l, *ſcientiam & in-*
k verſ. 20. l verſ. 22. *tellectum prudentiæ* m, *bonum ſenſum* n, *ſignificationem*
m verſ. 24. *diſciplinæ* o, *verba intellectus* p. *verba prudentiæ* q. *eru-*
n verſ. 30. *ditionem doctrinæ*: quæ ſunt, *juſtitia*, *judicum*, *equitas*
o verſ. 31. r, *aſtutiam*, *ſcientiam*, *intellectum* ſ, *ſapientiam ipſam*, &
p cap. 2. 2. q Prov. 1. 3. *doctrinam* t, *diſciplinam & legem* u, *conſilium* x, & his
r ibid. ſimilia; nec non aliis tot vocabulis eamdem fere rem ſi-
ſ verſ. 4. gnificantibus, quæ in pſalmo iſto longiore occurrerunt.
t verſ. 7. Qui habet intellectum, inquit Ambroſius, ipſe vere eſt
u verſ. 8.
x verſ. 25. 30.

A pius. Intelligit enim humanę lubricum fragilitatis, & cito
ignoſcit erranti: intelligit commune nobis datum naturę,
uſuſq; conſortium: & ideo pauperibus tamquam debitum
ſolvit, non inficiatur tamquam indebitum: intelligit vi-
ces eſſe calamitatum, & ideo tamquam naufragiis mun-
di iſtius portu quodam ſuæ humanitatis occurrit. Credi-
bile eſt, filium noſtri Prophetæ Salomonem, non tantum
ex Patris ore didiciſſe *y*: verū etiam ex frequenti pſalmo- y 3. Reg. 2. 3. 4.
rum ejuſdem, præſertim iſtius, lectione, ut in primis ad-
huc pene puer, in ipſo regni exordio, hoc unum intelle-
ctus munus à Deo flagitaret *z*, qua Deus delectatus ora- z 3. Reg. 3. 8. & ſeqq.
tione adjecit cumulatiſſimè alia externa etiam bona *a*, ut a verſ. 11. 12. 13
accurratè, perpendit hoc loco idem Ambroſ., tùm quod
nominatim, non uſurpavit ut Adam, boni, & mali ſcire b Gen. 3. 5.
diſtantiam *b*; ſed intelligendæ ejus gratiam oravit à Do-
mino. Ideo mortuum Adam dicit, & quod gravius eſt,
morte peccati: quia ante uſurpavit ſcire, quā intellectum,
quo vivificaretur, acciperet. Tum ſubdit, vivificat ergo
intellectus, ut ſpiritus: quia ipſe intellectus gratia ſpiri-
tualis eſt; ideoq; intellectum munere ſuo Spiritus ſanctus
B operatur *c*. *Intellectus* autem *bonus eſt hominibus, qui eū
faciunt d*: quia non ſolum ſenſu complecti, ſed etiam fa- c Eſa. 11. 8.
ctis, id quod intelligimus, exequi; debemus. Arbitratur d pſ. 110. 10.
Hilarius optari à Davide his verbis ęternitatem, ut ſicut
vivit corpus vita: ita intellectum, quem à Deo accepe-
rit, vivat in æterna gloria; ubi nimirum Dei ſervantur
mandata in æternum: quæ Lazarus pauper exſpectavit,
& conſequutus eſt, quum dives nihil ęternum exiſtimans:
beatitudinem præſentem ſua pœnali morte mutaverit *e*. e Luc. 16. 1

Æquitas teſtimonia tua in æternum.) Hieron., *juſta
teſtimonia tua ſemper*. Ambroſ. *juſta teſtimonia tua in
æternum*. Vetus Pſalterium, & Ambroſianum, Auguſt.,
Proſper, *juſtitia teſtimonia tua in æternum*. Optimè con-
venit hæc translatio, & noſtra, cum textu Hebræo &
Græco, in quibus abſtracta nomina ſunt צדק *tſedeK*, &
δικαιοσύνη, nomen quoq; *juſtitiæ* clarius eſt, quam *æquita-
tis*: quæ æquitas pro moderatione quadam juris accipi ſo-
let: non pro juſtitia abſolutè, quam dicta linguarum alia-
rum nomina ſignificant. Melius quoq; redditum eſt, *in
æternum* quam *ſemper*; quia id valet לעולם *lebbolam*,
C & εἰς τὸν αἰῶνα. In verſu 75. ſententia ſimilis habetur, *co-
gnovi Domine quia æquitas judicia tua*: ubi eſt etiam δι-
καιοσύνη, & צדק *tſedeK*. Idem re ipſa ſunt *judicia* & *te-
ſtimonia*: ut autem hæc dicuntur μαρτύρια, per quamdam
accommodationem applicantur ad martyria, ideſt, ad tri-
bulationes pro Deo toleratas, & pro pietate, quæ ſunt
æquitas in æternum: hoc eſt, ut exponit Hugo, quia ju-
ſtificant hominem, ſeu magis juſtū reddunt, ut ſit in æter-
num talis, & mereatur præmium æternum. Si eo uſque
tribulatio, neceſſitaſque pervenerit, inquit Auguſt., ut per
inimicorum perſequentium manus vita iſta finiatur, vi-
vet in ęternum, qui temporalibus pręponit juſtitiam, quę
manet in æternum: quæ juſtitia in tribulatione, & neceſ-
ſitate martyria ſunt Dei, hoc eſt, teſtimonia, pro quibus
ſunt Martyres coronati. O mors illa vitalis, ait Caſſio-
dorus! ò ſanguis purpuris omnibus pretioſior, quo tribu-
lationes & anguſtias mereris finire, & inſuper expectas
cœlorum regna ſuſcipere! Alluſionem iſtam non habent
voces *teſtimonia* & עדות *hhedoth*.

D *Intellectum da mihi.*) Hieron., *doce me*, ſicut antea
verſibus aliquot *f*, vel *inſtrue*: ubi ſunt eadem verba,
quæ hìc habentur, הבינני *hauineni*, & συνέτισόν με. No- f verſ. 34. 73. 125.
tatur alias hìc apud Euthymium, quod Græcum verbum
non ſolum ſignificat *intellectum da*, ſed etiam *prudentem
facito*. Id aliàs quoque ipſi monuimus; & Apollinarius
explicat.

δός μοι ἄναξ πινυτήν:
Da mihi Rex prudentiam.

Et vivam.) Græcæ in Bibliis Regiis, & Compluten-
ſibus, eodem pacto in futuro, καὶ ζήσομαι, quemadmodum
& Hebraicæ. ואחיה *veechieb*, & in eodem tempore le-
gerunt Chryſoſt., Baſilius, Theodoretus, Euthymius, Ni-
cephorus, Illyricum Pſalterium. At in Sixtinis Græcis
Bibliis reſtitutum eſt in imperativo, ζῆσόν με, *vivifica me*:
quod ſono ſimile eſt dicto futuro ζήσομαι, *vivam*. Videtur
ita etiam legiſſe Apollinarius, reddens per optativum,

—— βίοτος δέ μοι ἄρκιος εἴη
Vita vero mihi ſufficiens fuerit.

Nam οἱ μὴ συνετισθέντες, οὐδὲ ὄντως ζῶσι φαύλην ζῶντες καὶ διεψευσμένην ζωήν, inquit Euthymius, & Nicephorus,
*qui non ſunt prudentes, nec revera vivunt, inanem vivē-
tes, & falſam, ſeu ementitiam vitam*: nempe non homi-
ne di-

ne dignam, ſed bruti vitæ ſimilem: quod etiam ante dixi. *Vivere* ac *vita* in ſcripturis, ut de homine dicuntur, honeſtam, & beatam deſignat: apud Auctores profanos de jucunda, & geniali ſolent intelligi: quod memini notare me alibi.

Vivere, & vita ut de homine dicuntur in ſcripturis honeſtam] vitam reſignant.

COPH.

Verſ. 145.) Clamavi in toto corde meo: exaudi me, Domine, juſtificationes tuas requiram.

Verſ. 146) Clamavi ad te, ſalvum me fac, ut cuſtodiam mandata tua.

Senſus loci.

AGit in octonario ſequenti Propheta perſonam ardenter legem concupiſcentis; hocq; deſiderium ferventi diligenti, ſedula oratione demonſtrantis: verſibus autem duobus primis exprimit vehementiam deſiderii per clamorem, ex affectu, ac viribus totis, & exaudiri flagitat, ut Dei adjutus auxilio, atq; ſalutem gratiæ conſequutus, quæ gignit ſpem æternæ, poſſit ſummo ſtudio; ac diligentia, requirere quid præcipiat Deus, exigatq; à juſtis ſervis ſuis; ea vero pari cura, ac ſollicitudine exequi, & cuſtodire. Ambroſ. ductam docens ſimilitudinem ab his, qui impreſſiones paſſi corporales, exclamare conſueſcunt, ut alios ad præſidium vocare poſſint: ait Davidem ita clamaſſe, quum Saul ipſum *a*, & parricida filius perſequeretur *b*: multo autem magis, contra inviſibiles perſecutores, principatus, & poteſtates mundi hujus, *rectoreſq; tenebrarum* c, qui latronum modo, in iſtius ſæculi nocte humanis inſidiantur affectibus. Docet etiã adverſus diabolum, non vocis magnitudine, ſed magnanimitate cordis utendum eſſe, vel etiam vocis cordis: ut hoc clamet non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate concentuq; virtutum: nec non grandi clamore fidei, & in ſpiritu adoptionis, in quo clamare juſto licet. *d Abba Pater*. Negat injuſti animam viventem quoq; clamare, quia Deo mortua eſt; nihil in illa ſublime, nihil magnificum eſſe dicit. Addit, gracili, ſeu tardiore Moyſem *e* voce, plus tamen omnibus olim auditum, nuncque quotidie audiri in Eccleſia, & clamaſſe ad Deum *f* affectu pio ac ſenſu profundo, & perſonando in cœlo. Adde Samuelis *g* matrem & Suſannam *h*. Deniq; ſapientiam ipſam clamando invitare *i*, & Chriſtum advocando ad ſe ſitiẽtes k. Illum in oratione clamare, qui oret magna, eterna, divina, cœleſtia: quia non audit Deus, niſi quod dignum ſuis ducit eſſe beneficiis; hoc eſt, piam vocem, plenam devotionis & gratiæ. Monet ſimul exquirendas juſtitias Dei, ut omnia providentiæ adſcribamus divinę, quæ ſunt inſita in creaturis, præcipuæ rationalibus: & eamdem providentiam circa iſtas argumentemur, ex ea, quam demonſtrat Deus erga alias, potiſſimum erga animantes. Prior eadem fere Hilarius ſcripſerat: præterea non eſſe quod hic dicitur, Chriſti contrarium præcepto de ſilentio in oratione *l*. Agere enim de clamore cordis Prophetam, mentis, fidei, quique non niſu vocis, ſed fidei ſpiritu ſit uſque ad thronum Dei efferendus: Chriſtum exegiſſe mentis potius officium, quia ſecretorũ inſpector eſt Deus, quam vocis: videlicet hoc non refutando: ſi habeat illud adjunctum. Adhibet exemplum Pauli, qui exiguis epiſt. ſuas litteris ſcribebat, communiſq; hæc ei elementorum, atq; apicum forma erat *m*: attamen ingentes has litteras ſuas eſſe dicebat *n*, ſeu graves, vel alii potius de illis, *Ecce qualibus vobis litteris ſcripſi mea manu*, magnitudinem ſenſuum, & pręceptorum utilitatem litteris talibus comprehendendo. Illud etiam de juſtificationibus exquirendis, ſeu requirendis, refert ad umbratilem legem, ſub qua latent. Poſtremo modeſtiæ ordinem obſervat, ut non ſtatim David clamorem ſuum, ſperare auſus ſit proficere in ſalutem; ſed prius auditione dignus fieri ſtuduerit, prius juſtificationes inquiſierit; nos ſalutem tamquam debitam poſtulare, & quidem labiis quod neſciunt murmurantibus peregrinante autem ſenſu, neque officium corporis mente in res alias accupata ſequente. Sed & eumdem Prophetam notat poſt tot præcedentes preces, ut ſalvus eſſet, ſalutis ipſius ſtipendium proferre, ut Dei mandata cuſtodiat.

a 1. Reg. 24. 3 & ſeqq.
b 2 Reg. 17. 1 & ſeqq.
c Epheſ. 6. 12
d Rom. 8. 15 Galat. 4. 6.
e Exod. 4. 10
f cap. 14. 15.
g 1 Reg. 1. 13
h Dan 13. 35
i Pr. 1. 21. cap. 8. 1. 4. cap. 9. 1.
k Jo. 7. 37.
Deus quem ſuis beneficiis dignum ducit, audit orantem.
l Mat. 6. 5. 6 7.
Conciliatur hic locus cum illo Matthæi 6. de ſilentio in oratione.
m Galat. 6. 11.
n 2. Cor. 10. 10.

Auguſt. & aliorum eadem explanatio. Ille autem voce carnis aliquando opus eſſe docet, ne quis nimirum damnet orationem vocalem, ut viſus damnare Hilarius Arianus *o*, & Pauperes de Lugduno; ſed non ſine cordis clamore, quod nempe eſt *pſallere ſpiritu* p: & *mente cantare*, & *pſallere in corde Domino* q: clamoris utriuſq; aut utriuſq; ſcopũ eſſe debere juſtificationes exquirere, haſq; faciendas, non tantummodo ſciendas: propterea quæri à malis ſapientiam, & non inveniri, quia *oderunt eam* r: nec illam quærunt propter ipſam, volentes habere in doctrina, non in vita, ut non per mores, quod jubet, perveniant ad Dei lucem: ſed per ſermones, quos eadem habet, perveniant ad hominum laudes: quod eſt vana gloria.

o Fratres luc. Pauperes de Lugduno hæretici.
p 1. Cor. 14.
q Eph. 5. 19.
r Pr. 1. 22.

Coph.) Alii pronunciant *Cuph*. Ambroſ. autem, & plures, qui eum ſequuntur, interpretantur ſignificare *concluſio* vel *aſpice*. Nam qui concluditur, ait Ambroſ., circumſpicere ſe debet: cauſſam periculi non diſſimulare, maxime quum lethale diſcrimen ſit. Duplicem ſubjicit concluſionis modum, tumeſcentibus viſceribus, interniſve faucibus: & in fœmina, quum ſit peridrome matricis quæ ad mores applicat. Addunt aliqui concluſionem hoſtilis obſeſſionis, ſeu munitionis, & barbare loquendo, cum Zamorenſi, fortificationis: hoc eſt, circumvallantium atq; circumpugnantium fortiter tentationum. Ad hæc omnia circumſpectio neceſſaria, potiſſimùm vero conjectus oculorum ad Dominum, tamquam Medicum, & cuſtodem, atque defenſorem. Plura de hac tropologia Avendanus. Vincentius Ciconia per *circuitum*, ſeu *circumdationem*, *circumcurſum*, *revolutionem*, *ambitum*, & *circulum*, quæ figurarum perfectiſſima eſt, ſignificaturq; nomine litteræ iſtius, ait deſignari ceu ἐγκυκλοπαιδ᾽ἄν in divina lege contineri, vel in ejus quaſi meditullio Deum eſſe tamquam punctum, principium, fontem, originem omnium veluti linearum, hoc eſt, cunctorum præceptorum, quæ ambitu, & complexu legis circumſcribuntur, vel ſemper in orbem, vel anno toto, qui ἐνιαυτὸς dicitur, quod in ſeſe recurrat, iterum, iterumq; obambulandum circa inquiſitionem legis, ejuſdemq; obſervationem. Caninius tradit ſignificare *ſimiam*, quod animal humanarum actionum ęmulum, nos ipſos homines admonet, quã ſtudioſi eſſe debeamus in exprimenda Dei ſimilitudine, ad quam facti ſumus, ipſius voluntatem, ac legem, quam fieri poteſt, exactiſſimè perficiendo. Hieron. placet ut ſignificet vocationem. Et quidem vocatur & invocatur Deus etiam cum clamore in octonario iſto, ut vires ad implendam legem ſufficiat. Poſtremo volunt alii nonniſi à ſono ipſo ſic appellari litteram *Coph*, Nec ſunt hi tamen in hac re conſtantes, cum aliis elementis modo aſſignent aliam ſignificationem: modo ſolam ſoni expreſſionem. Si qua propria ſignificatio retinenda maximè pro circulo, circuitu, & ſimilibus: unde etiam ſimiam denominatam ajunt, quod numquam uno conſiſtat loco, ſed ſemper circumeat. Quid *aſpiciendi* verbum affinitatis habeat cum ipſa littera, non intelligo: *vocationem* cur ſignificet, non alia ratio, quam quia קרא *Kara* id ſignificat, vel etiam *clamare*: quæ ratio æque locum habet in aliis omnibus, quorum littera prima ק *coph*, ac potius dicerem à קבא *Kapha*, quod eſt *coagulare* & *coagulari*, *concreſcere*, *condenſari*, *compingi*, ſignificare *congelationem*, *nivem congelatam*, *glaciem*, aut quid ſimile. Nec deeſſet ratio tunc tropologica, propoſito accommodata.

Notio litteræ ק coph.
Duplex concluſionis modus.
Tropologia
ἐνιαυτὸς.

Clamavi in toto corde meo] Additum eſt *meo* Hilarius habet *ex corde meo* Ambroſ., *exclamavi in toto corde meo*. Sæpius auditus eſt præcedentibus pſalmis *ſ* clamor Prophetæ noſtri ad Deum, & adhuc deinceps *t* audietur: aliquando aut *clamor vocis* exprimitur *u*, & *oris* x, & *hymni* y, & *faucium* z, hic dumtaxat exprimitur clamor *in toto corde*, qui tamen eum qui edatur exterius, non excludit; & qui ſolus exaudiri meretur, eſtque vel Sanctorum, vel ſtudioſorum ſanctitatis: *clamaverunt* juſti, *& exauditi, ſalviq; facti ſunt* a, *clamaverunt* alii: *nec erat qui ſalvos faceret*, aut *exaudiret* b. Clamabat populus, inquit Ambroſ., & non audiebatur, quia non ad Deum, qui injuſta, & viris indigna clamabat. *Clamor meus*, ait alibi *c* David, *in cõſpectu ejus introivit in aures ejus*. Non eſt aliud cogitandum, quando clamatur ad Dominum, ut ſcribit Caſſiodorus, & in ſola Religioſa cogitatione totus debet ſpiritus occupari, ne mens diviſa, effectum nequeat impetrare, quem poſtulat, *diviſum eſt cor eorum*, ait Oſeas *d*, *modo interibunt*. Deus autem pollicetur, quod *eum*, *qui clamaverit ad ſe*, nempe ut oportet, *exaudiet* e. Diſtinguit Hugo clamorem prędicationis, accuſationis, quęrimoniæ, orationis, timoris, doloris, admirationis. Bonaventura obſervans, quod in præterito dictum eſt, *clamavi*, ait orationis indicari frequentiam, & continuationem notat etiam ſignificari per *clamorẽ* diſtantiam animę poſteriora

ſ pſ. 3. 5. pſ. 4. 3. pſ. 16. 6. pſ. 17 7. pſ. 21. 3. 25. pſ. 26. 1. pſ. 29. 3. 9. pſ. 30. 23. pſ. 33 7. 18. pſ. 54. 17. pſ. 56. 3. pſ 60. 3. pſ. 64. 14. pſ. 65. 17. pſ. 68. 4. pſ. 76 t pſ. 85. 3. 7. pſ. 87. 2. 10. 14 t pſ. 118. 147. pſ. 119. 1. pſ. 129. 1. pſ. 129 2. pſ. 140. 2. pſ. 142. 28.
u pſ 3. 5. pſ. 76. 2. pſ. 242. 1.
x pſ. 65. 17.
y pſ. 64. 14.
z pſ. 68. 4.
a pſ. 21 6. pſ. 38. 7. 18.
b pſ. 17. 42.
c ib. verſ. 5.
d cap. 10. 2.
Clamorũ diſtinctio.
e pſ. 50. 15.

ſteriora conſiderantis: inſtantiam ſuperiora deſiderantis: perſeverantiam, ad anteriora properantis. Quid vero ſit *in toto corde clamare*, intelligi poteſt ex dictis aliàs; præterea quid ſit *confiteri Domino in toto corde* a, vel *eum exquirere* b, vel *legem cuſtodire* c, vel *deprecari faciem Dei* d, vel *ſcrutari mandata ejus* e. Rickelius totaliter iſtam cordis, ut ita dicam, conſiſtere in eo vult, ut ſit omnino converſum ad Deum; nec ſit vagum, nec per amorem temporalium rerum diviſum: ſed collectum, fixum in Deo: ut quis intellectu ſenſum verborum diligenter penſet; voluntate autem, id quod poſtulat, ardenter concupiſcat.

a pſ 9. 2. pſ. 25. 12. pſ. 110. 1. pſ. 137. 1.
b pſ. 118. 2. 10
c v. 34.
d v. 58.
e v. 69.

Exaudi me Domine.) Poteſt quoque verti, *reſponde mihi* עננׄי *hhaneni*, ſed exaudiendo reſpondet Deus, & exaudit reſpondendo ipſe, qui quia Dominus eſt, poteſt quidquid oratur, concedere.

Juſtificationes tuas requiram.) Hier. *præcepta tua cuſtodiam* חקיך אצורה *cukkeha ezſorath*. Perinde eſt quod Pſalterium vetus habet, & alii, *exquiram*. Cajetanus minima quoque ſtatuta intelligit. De his vocibus egimus alias. Magnis ad has juſtificationes rebus opus, magniſque aſſerit Hilarius, clamore cordis, exauditionis merito, inquiſitionis officio. Vel ſenſus eſt, ut Rickelio placet; ut promtius pleniuſque dignetur Deus exaudire, ſe proponere firmiſſimè mandata ipſius requirere. Vel, ut alii: ſi exaudieris, hoc faciam quod unum opto maxime, atq; flagito: quod ſequenti verſu magis exprimitur.

Clamavi ad te.) Hieronym., *invocavi te* קראתיך *keraticha*, & ἐκέκραξά σοι, *clamavi tibi*. In vetere Pſalterio & apud Auguſtin. eſt dumtaxat, *clamavi*. Meminit autem legi *clamavi te*, & in nonnullis codicibus Latinis & Græcis ita eſſe: nihilque vero aliud eſſe, *clamavi te*, niſi clamando invocavi te. Notat auctor Græcus anonymus *f*, prius Davidem clamaviſſe *in toto corde*: poſtea Deum ipſum, ſive ad Deum, aut Deo: quoniam quòd loquebatur in mente, non aliud erat, quam Deus.

f apud Angelium.

Salvum me fac.) Romanum Pſalterium apud Fabrum præponit &. Ambroſ. legit, *ſalva me*. Quum dicit hoc, in anima vult intelligi, ait Caſſiodorus non in corpore: unde revera Domini poterat mandata cuſtodire: neque enim ſalutem carnis petere poterat: qui libenter corporis paſſionibus ſubjacebat. Ita eſt: corporis tamen etiam ſalus recte poſtulari poteſtati poteſt, ut ad animæ ſalutem conducit. *Deus noſter, Deus ſalvos faciendi eſt*, & *Domini Domini ſunt exitus mortis* g, ut ſcilicet à mortis periculis eruat, & ſalutem corporis conferat. Sæpenumero *ſalvare* aut *ſalvum facere* occurrit prius, ut ad ſalutem corporalem ac temporalem ſpectant.

g pſ. 67. 23.

Ut cuſtodiam mandata tua.) Conjunctionem &, habent Hebræus Textus & Græcus, atq; Gallicanum Pſalt. apud Fabrum & Proſperum. Habet hanc vim aliquando conjunctio. Pro *mandatis* legunt *teſtimonia* vetus Pſalt. Auguſtinus, Proſper, & in ſuis commentariis Hilar. & Ambroſius. Biblia quoque Complutenſi, & Regia: ſed & Hieronym. aliique transferentes ex Hebræo: nec non Græci, quoniam ſunt עדות *hhedoth*, & μαρτύρια, quæ id ſignificant. Hæc fidei noſtræ militia eſt, ait Hilar. cuſtodire mandata, & veluti ſecreto fideliſſimo hunc theſaurum depoſiti, & commendati nobis præcepti reſervare. Notat etiam idem, cumque ipſo Ambroſius, & nos aliàs notavimus, cum aliis, dici teſtimonia, quæ Deus præcepit ſub teſtibus, cęlo, ac terra & Angelis.

Verſ. 147.) Præveni in maturitate, & clamavi, quia in verba tua ſuperſperavi.

Verſ. 148.) Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.

Senſus loci.

NON ſolùm contentum orationis clamorem docet fuiſſe, verùm etiam continuum, & cito inceptum: antequam eſſet communis hora ſurgendi, & quum adhuc eſſet tempus dormiendi: antequam Sol exoriretur, & quum adhuc eſſet diluculum: deniq; valde mane evigilaſſe, & ex oculis excuſſo ſomno, eos veluti ad Deum reſpicere juſſiſſe, atq; clamorem extuliſſe ad ipſum: quoniam trahi ſe ſentiebat promiſſionibus Dei, quæ plurimam ei ſpem ingerebant, quamvis viderentur in longum differri, nec non vehementi deſiderio meditandi, atq; celebrandi, & decantandi, ſeſeque oblectandi in verbis & eloquiis divinis quæ hujuſmodi promiſſiones & alia plura genera bonorum continebant. Figurata oratione deſcriptio quædam videri poteſt, ut Græco cuidam placet anonym. *b*, temporis calamitoſi & adverſi, quo ſe Propheta dicat orationi ac meditationi vacaſſe, vel ætatis primæ annorumque quibus cœpiſſe colere Deum, & pietatem ſectari, quod in ſene non adeo mirum, qui non ultra carnalibus deſideriis inquietatur, ut in juniori, qui ſenili prudentia ſtudeat ejus ætatis pericula ſuperare. Affines porro iſti ſententias de vigilantia Davidis priores aliquot pſalmi continent *i*, & lane quod *anticipaverint vigilias oculi ipſius* k, & quod mane *prævenire voluerit Deum oratione ſua* l. Hinc Ambr. colligit non eſſe velut præſcripta præcipuè tempora præſtolanda, ſed in obſecrationibus Domini ſemper nos eſſe oportere, & ſive manducemus, ſive bibamus, Chriſtum annunciare, rogare, cogitare, loqui, ut ſit in corde noſtro ſemper, & in ore, *tempus* quidem dici *omni rei eſſe* m ſub cęlo, at Dominum Jeſum ſupra cęlum eſſe, nullo circumſcriptum tempore, ſi non ſemper precamur, paratum ſemper habere precantis affectum debere, Chriſto, qui *pernoctavit in oratione* n, non indigens precationis auxilio, ſed ſtatuens imitationis exemplum, & pro nobis pernoctando rogavit, ut diſceremus, quomodo ipſi pro nobis, rogaremus, reddendum, quod pro nobis, detulit. Adjicit præterea interpretationem, qua v. 148. tempus precandi magis exprimit, de tempore actuum, operumq; quum in adoleſcentia poſitus ſenilem gravitatem, & quaſi maturitatem induit, juveniles annos veterana quadam continentia regit, fervorem virentis corporis in cana morum maturitate componit, nihil parumve laudis habere, ſi eſſętum corpus voluptatibus, & jam ſenectutis gelu frigidum, ad ſera devotionis officia depoſito quos jam ſenior vigore, convertat, in hora ſenem eſſe, ſi munia ſobriæ maturitatis exerceat, ante horam percurrere juvenem, ſi ſenili pondere incentiva comprimat voluptatum, ac ferventes illecebras cupiditatis extinguat, ſi tandem *jugum Domini* grave *portet à juventute*, ſeu *ab adoleſcentia* o. Illam item commodè profert ex Sapientiæ *p* libro de Sole præveniendo, ad orandum & adorandum Deum ſententiam, quia grave ſit, ſi te otioſum in ſtratis radius Solis orientis inverecundo pudore conveniat, & lux clara feriat oculos ſomnolento adhuc torpore depreſſos, & tanti temporis ſpatium ſine ullius devotionis munere, ac ſacrificii ſpiritalis oblatione feriata nocte tranſmittas, nec primitias cordis ac vocis, quas Deo quotidie debes, offeras, ſponſam *in nocte quaſiviſſe quem diligebat anima* q *ipſius*. Hortatur demum, ut ſaltem dividat quis Deo & ſæculo tempora ſuæ vitæ; Deo vacet, indulgeat orationibus, ne obdormiſcat, pſallat, ſomnum bona fraude fraudet ad Eccleſiam, deferat primitias pii voti, poſtea, ſi vocet ſæcularis neceſſitas, licitum ipſi fore, id faciendo affirmare, quod prævenerint oculi mane meditari Dei verba, ſicque ſecurè proceſſurum ad ſuos actus, poſtquam ſcilicet jucundè inchoaverit ad hymnis, & canticis, &c. Perſtrinxerat prior eadem Hilar. de ætatibus, deque vigilantia, ſoleque præveniendo. Hoc ex Chryſoſtomo ipſi etiam retulimus in commentario citati loci Sapientiæ, illud vero Græcus anonymus paullo ante nominatus dicebar.

b apud Angelium.
i pſ. 54. pſ. 54 18. pſ. 58. 17 pſ. 62. 2. pſ. 76. 3. 37. pſ. 87. 14. pſ. 91
k pſ. 76. 7.
In orationibus & obſecrationibus ſemper verſari debemus.
l pſ. 87. 14.
m Eccl. 1. 17
n Luc. 6. 18.
o Thr. 3. 27.
p c. 16. 28.
q Cant. 3. 2

Recenſet Hugo cum Gloſſa quinque verſ. 142. expoſitiones. Ut quis præveniat opportunum tempus operandi, nimirum nocte orans, quia *exit homo de die ad opus ſuum* r & *operatur dum dies eſt* ſ, ut præveniat in hujus nocte vitę diem judicii, ſe præparando ad illud, ut præveniat is, qui ad vetus Teſtamentum pertinebat gratiæ tempus, primumque adventum Chriſti, ut quivis præveniat reliquas actiones ſuas, ordiendo à Dei laude, ac oratione, & primum, anteque omnia *quærendo regnum* t *Dei*, ut præveniat in pueritia ſenilem ætatem moreſque. Sexta dicti Græci, de tempore calamitatis, atque tribulationis, quod nocturna, & obſcura deſignat tempeſtas. Septima ſimilis, ut oratione, ac ſedulitate cautionis præveniamus pericula, occuramuſque tentationibus, ut minus feriant, & his reſiſtamus. Litteralis ſenſus initio poſitus eſt; ceteri continent commodam myſtologiam, quam Latini magis ſectantur, ut adhuc poſtea dicemus.

r pſ. 103. 23.
ſ Job 9. 4.
t Mat. 6. 33.

Præveni in maturitate.) Hieronym. *ſurgebam adhuc in tenebris*, quod eſt Hebraicè קדמתי בנשת *Kiddamthi banneſceph*, & alii vertunt, *crepuſculi*, vel *ante auroræ exortum*, vel *ante diluculum*, vel *in nocte*, vel *mane*. Significat נשף *neſceph* lucem dubiam ante vel ortum Solis, vel occaſum ſive initium noctis, quando tenebræ incipiunt; aut principium diei, quando tenebræ deſinunt; unde nunc exponitur

ponitur *mane & crepuſculum*, nunc *nox*, *caligo*, *tenebræ*, *veſperi obſcurum*: & nomen avis nocturnæ eſt ינשוף *janſciuph*, vel ינשוף *janſcioph*, ut theſauri auctor docet, Græcè extat *ἀωρία*, ſignificans *intempeſtivum tempus*, & quandoque *intempeſtam noctem*, quæ dicitur etiam cum addito *ἀωρία τῆς νυκτὸς*, & adverbialiter, *ἀωρὶ τῶν νυκτῶν*, Heſychius præterea exponit *μεσονύκτιον*, *media noctis horā*, & *ἄπρακτον ὥραν horam in qua operi non vocatur*: Apollinarius hoc loco explicat *νυκτὸς ἀμολγὸν* ut Homerius *a* item loquitur; & eſt tempus, quo mulgentur pecora, vel veſperi, vel media extremave nocte, pro qua interdum abſolutè ponitur *ἀμολγὸς* ab Euripide. Euthymius & Nicephorus ajunt eſſe tempus ante *ὄρθον diluculum*: alii Græci appellant *mediam noctem*. Sed quum lego in Chryſoſtomo per *immaturitatem*, ut Latine ibi eſt, intelligi, quod certum nullum, ac definitum tempus David habeat, ad Dei laudes gratiaſque: ſed diu noctuque in hoc opus incumbebat; ſuſpicor non verum Chryſoſtomum; ſed Latinum quempiam, commentarii illius auctorem eſſe. Nam quamvis juxta etymon *ἀωρία*, indicet tempus incertum, ac veluti ſine certa & definita hora; tamen Græci ſolent B uſurpare illis modis, quos dixi, ac fere tantum pro tempore nocturno. Auguſtinus, ac Proſper cum vetere Pſalterio, legunt, *intempeſta nocte*, Auguſtinus vero adnotat alias lectiones, *immaturitate*, quam reperi apud Lombardum, & Brunonem utrumque, & Ladulphum, vel addita præpoſitione *in immaturitate*, quo pacto Pſalterium Ambroſianum habet, quod pe inde ſit, ac ſi abeſſet, quemadmodum, *intempeſta nocte*, aut *in intempeſta nocte*, & *gallicantu*, aut *in galli cantu*: ſignificare vero nocturnum tempus, quod non eſt maturum, ideſt, opportunum, ut agatur aliquid vigilando; quod etiam vulgo dici ſoleat, *hora importuna* (*ὥραν ἄπρακτον* dici prius monui) *noctem* quoque *intempeſtam* mediam eſſe, ac eo modo nominari, quia importuna eſt actionibus, atque intempeſtiva, quum *tempeſtivum* uſurpetur pro *opportuno*, *tempeſtas* pro *tempore*. Ambroſius legit, *anticipavi in maturitate*, *ἀωρίαν* interpretatur *ante horam & ante tempus*. Eamdem lectionem noſtram, *in maturitate*, ſectantur Pſalterium Romanum, præterque Ambroſium Hilarius, Arnobius, creditus Hieronymus, poſteriores iſtis alii: ac præter enarrato- C res, Caſſianus *b*. Sed verus Hieronymus non expoſuiſſet de præveniendis vitiis pudicitia juvenili; aut de maturitate vivacis animi. Cui ſimilem ex Ambroſio prius retuli expoſitionem, præter litteralem de tempore, ſeu hora opportuna præventa. Nec alio, quam dicto illo modo; qui tamen profecto myſticus totus eſt, declarant Hilarius, Caſſiodorus, Haimo, Remigius, Pampolitanus alii. Arnobius, *in maturitate prævenire*, ait eſſe in ſenectute, ipſum vitæ finem attendendo: Lyranus cum deliberatione rationis, non ex impetu paſſionis, clamorem feſtinum præceſſiſſe. Beda *immaturitatem* legens, tranſcribit ſenſus ab Auguſtino, Proſperoque traditos, & antea indicatos à nobis, de illis, qui ſub lege vetere clamore deſiderii adventum Domini expectabant, & quaſi in tenebris conſtituti, prævenerunt, credentes ſe non per legem, ſed per illius gratiam juſtificari. Addit Beda immaturum tempus eſſe præſentis tribulationis, & laboris, donec illud veniat, in quo Deus abſterget omnem lacrymam ab oculis Sanctorum *c*. Rurſus, juxta noſtram tranſlationem, *in maturitate* idem vult eſſe, ac *in conſedulitate*: id autem tractum D eſſe à vicinis habentibus poma communia, quorum quiſque ſedulus eſt anticipare alios in collectione pomorum. Ad hæc, *in maturitate prævenire* eſt, inquit, in præſenti tempore; quia nunc fletus prodeſt, & pœnitentia fructuoſa eſt; immaturum vero tempus erit extremi judicii: Nihil de noſtra tranſlatione immutandum, quidquid Varlenius, Janſenius, Lindanus, Brugenſis, Faber, alique dicant hoc loco, ac præterea de noſtris Ribera *d*, & Viegas *e*. Nam *in maturitate prævenire*, ut Genebrardus rectè advertit, idem eſt, quod maturè, & hoc, idem, quod ante tempus, primo mane, cito, quamprimum: idem, ut ait cum Joanne Campenſe, Richardus Cenomanus, & Bellarminus, quod maturiſſime properare, eo genere loquendi, quo Poeta *f* dixit,

—— *Maturate fugam*.

De qua phraſi Macrobius *g*, & Gellius *h*, à quibus merito diſſentit Turnebus *i*, ut ſit, non temperatè, ſed cito fugere; & mature venire tam eſt opportuno tempore, quam ſatis cito, anteque dictam horam; *maturare ab Urbe proficiſci*, eſt feſtinare, inde diſcedere; *maturare mortem*, cito mori, vel eam cito inferre. Poſſet id exemplis Auctorum profanorum aliis oſtendi: qua in re Auguſtinum imitaremur hoc loco, tam accuratè de iſtis rebus diſſerentem. Quod Arnobius dixit de maturitate ſenectutis etſi convenit Latinæ voci, & utcumque Græca: quia *ὥραν* dicunt etiam Græci anni tempeſtatem, vel ætatem; tamen vocabulo Hebræo prius declarato non congruit, neque propoſito: quod magis exprimitur in verſu ſequenti per *diluculum*. Plura de myſticis non afferam. Bonaventura diſtinguit præventionem, Æthiopū, nunciorum, Principūſque; quæ deſignant præventionē meditationis; per viā cōpunctionis, compaſſionis, conſolationis. Græv[illegible]us *k* præventionis modos plures affert, ad veniam, ad culpæ declinationē, ad bravium obtinendū, ad adverſarium ſupplantandum per morum gravitatē: ad honorē impertiendum, ad excurrendum, & ſuccurendum, ad præſervandū, ac præcavendum, ne quis caſu, vel ruina lædatur. De ſingulis fuſius agit. Caſſianus autē *l* hoc ex loco infert, quod adnotaſſe dixi Ambroſium, primitias offerendas Deo, quum primum expergiſcimur: nobis autem cautione curandum eſſe, ſi vim hujus verſiculi opere volumus adimplere, ut ita primos matutinarū cogitationū ortus, ſollers vigilantia tueatur: ne quid ex eis feſtina præſumtio liventis attaminet inimici, noſtraſque primitias tāquā viles jā, atque cōmunes à Domino reprobari: hoc devotionis genus multos etiā ſæcularium ſumma cautione cuſtodire, qui ante lucem, vel diluculum conſurgentes, nequaquam familiaribus, ac neceſſariis mundi hujus actibus implicātur, priuſquam cunctorum actuum ſuorum, operationūque primitias, ad Eccleſiam concurrentes, divino ſtudeant ſacrare conſpectui. Ad extremum, præventio iſta demonſtrat in quāto pretio haberi debeat quivis articulus temporis, quod *redimi tempus*, oporteat *m*, quomodo *tempus conſervandum n*, curandum, *ne fraudemur à die bono, & particula boni doni non nos prætereat o*. Senſu accommodationis poſſet hic locus applicari ad mulieres illas pias, qui valde mane occurrerunt ad Chriſti ſepulchrum. *p*

Quia in verba tua ſuperſperavi.) Hieronymus, *verbum tuum expectans*. Deeſt Hebraicè *quia*, & nunc per *Keri Ketiu*, ideſt, per certam quamdam notam, indicatur legi debere in ſingulari, *verbum tuum*, licet ſcribatur cum י *jod* quod pluralem numerum denotat hoc modo, דבריך *devareKa*: pro *ſuperſperavi* autem eſt *ἐπήλπισα*, & יחלתי *icholthi* quemadmodum jam prius *q* aliquoties Ambroſius legit, *in verba tua ſperavi*; ſed obſervat vim verbi Græci, ut indicet ad ſperandum ſemper creſcere, & ſpem ſpei adjungere oportere: juſtum ſemper ſperare, & in diverſis poſitum, & frequentibus afflictum ærumnis, deſperare non noviſſe; ſed quo graviora toleraverit, magis ſperare, & ſperandi ſumere profectum, juxta illud, *r* *Tribulationem ſuper tribulationem, ſpem ſuper ſpem*. In Auguſtino, Proſpero, vetere Pſalterio, & Ambroſiano eſt, *in verbis tuis ſperavi*. In Romano Pſalterio, & apud Caſſiodorum, *& in verbo tuo ſperavi*. In eo, qui dicitur Hieronymus, *quia in verbo tuo ſperavi*.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.) In vetere Pſalterio & apud Aug. & Proſperum, *prævenerunt oculi ad matutinum*, *πρὸς ὄρθρον*. Aliæ autem editiones, *ad te*: nec in Græco, nec in Hebraico textu reperiuntur; tamen rectè ſuppletæ ſunt. Hieronymus, *præveniebant oculi mei vigilias*. Pro *vigiliis & diluculo*, ac nomine *ὄρθρον*, Hæbreum vocabulū eſt אשמרות *aſmuroth*, cui ſimile in ſimili ſententia extat in pſ. 76. *ſ*. *Anticipaverunt vigilias oculi mei* שמרות *ſcemuroth*, ubi vertit Hieronymus, *prohibebam ſuſpectum oculorum meorum*. Alii, *apprehendiſti palpebras oculorum meorum*: *tenuiſti vigilias oculorum meorum*; vel, *in vigiliis oculos meos*; vel, *cuſtodias oculorum meorum*, ideſt, *palpebras*, &c. ut tunc vidimus. Eadem radix nominis utriuſque, שמר *ſciamar*, *cuſtodire*: & vigiliæ nocturnæ cuſtodiri dicebantur tùm à paſtoribus *t*, tùm á militibus, diſtinguendo quaternas; ſicut de die totidem ſtationes, quarum ſingulæ ternis cōſtabāt horis. De qua re actum alias. Dixit David ſupra *u*, *ſe media nocte ſurrexiſſe ad confitendū nomini Domini*. Quū ſint in dimidio noctis vigiliæ duæ, colligunt Hebræi *x* duas illū ſteтiſſe vigilias in precibus, aut meditationibus. Exaggerat hoc loco Chryſoſtomus, quum David Rex eſſet, atque innumerarum curarum tāmquā fluctibus circūfunderetur, ac præterea bellica certamina ſuſcepiſſet, non modo lucente die ſupplices orationes Deo adhibuiſſe, ſed etiam intempeſta nocte, gallorum cantum minime expectaviſſe: ex hoc nos etiam docuiſſe, Deū memoria ſemper circumferre, quia Dei magis recordari, quā ſpiritum docere oportet; velut, inquit, à Gregorio Theologo

ἀωρία.

a Iliad. *o* & *x* Odiſſ. *δ*, & alibi.

ἀμολγὸς ὄρθον.

k ſerm. 170. Præventionis plures modi.

l collat. 1. c. 26. Primitiæ Deo cum primum expergiſcimur, offerendæ.

m Eph. 5. 15.

n Eccleſiaſt. 4. 23.

o c. 14. 14. Senſus accommodatitius.

p Marc. 16. 2.

b coll. 21. c. 26.

q verſ. 43. 75. 81. 114.

r Eſa. 28 ſecund. LXX.

c Apoc. 7. 17. cap. 21. 4.

ſ verſ. 5.

In maturitate prævenire quid ſit propriè.

A quibus, & quomodo vigiliæ cuſtodiri dicantur

t Luc. 2. 8.

u verſ. 62.

x in Beracoth.

d In Abac. 3. num. 61.

e in Apoc. 10. annot. 4. ſect. 6. n. 2.

f Virgil. 1. Æn.

g lib. 6. cap. 8.

h l. 10. c. 11.

i lib. 12. c. 12.

logo dictum eſt. Subdit etiam, nos, qui in paupertate vi- A vimus, atque omni cura vacamus tamen per totam noctē in lecto volutari, ac ne oriente quidem die bonorum donatori laudem offerre. Dominū admonuiſſe, ut attenderemus, *ne graverentur corda crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ a*: alium Prophetam lugentem, ad hujuſmodi homines dixiſſe, *Tota nocte dormiebat Ephraim*. Quis ille Propheta ſit, neſcio: nam Oſeas *b* habet hæc verba, non de Ephram, ſed de Deo. Irrepit quandoque ſcitando nonnullis memoriæ lapſus. Ceterum Iſidorus *c* matutini officii antiquitatem colligit ex hoc loco, ſicut & ex illo, *d* *In matutinis meditabor in te*. Idem facit Aquiſgranenſe Concilium *e*, tranſcribens Iſidorum Baſilius *f* idem hinc elicit; cavendumq; ne dies nos in lectulo dormientes opprimat. Diximus hac de re aliàs, deque opportunitate iſtius, ac nocturni temporis adorandum meditandumve. *Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus*, ait Job *g*, *ſtatim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum juſtitiæ tuæ. Qui de luce vigilaverit ad ſapientiam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet; & qui vigilaverit propter illam, cito h ſecurus erit & beatus, qui vigilat ad ſapientiæ fores quotidie i*. Ceterum, quum præveniri audis Deum, cave exiſtimes præveniri omnem gratiam ejus, & inſpirationem; ſed aliquam ſubſequentem dumtaxat, ut auxilium ad vincendam tentationem, vel piè operandum.

Ut meditarer eloquia tua.) Ambroſius, *meditari verba tua*. Hieron *in ſermonibus tuis*. Eſt hic verbum Græcum, *μελετᾶν*: ſed Hebræum שיח *ſiach*, pro quo aliis multis in locis aliud eſt, importans delectationem, nempe שעשע *ſciabhaſciabh*. Bonaventura meditationem, iſtam oculis aſſignat internis: quamvis aliquando, inquit, actus meditativi attribuuntur, aliquando ori, & gutturi, non modo menti ſed notat prius de oculis corporis prævenientibus diluculo mentionem factam, ut intelligamus, quod compunctionis gratia debet prævenire gratiam contemplationis, & ſic *prævenire Solem ad benedictionem k*, ut antea etiam diximus. Illyricum Pſalterium tranſtulit, *ut diſcerem*.

Verſ. 149.) Vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam, & ſecundùm judicium tuum vivifica me.

CLamaviſſe ſe dixit jam ter, & in ultimis verbis meminit de meditatione, quæ juxta vi verbi שיח *ſiach*, quod ibi erat, denotat tacitam obmurmurationem, conquæſtionem apud ſeipſum, & muſſitationem. Quaſi ergo feſſus clamando, & quod clamans non per diem tantum, ſed & per noctem, non fuerit exauditus, nomihil pauſæ interpoſuerit, & voce ſubmiſſa, ſolave mente agitaverit ſuas illas cogitationes, & deſideria: nunc renovat clamorem, & obteſtatur Deum, (non prætendens merita propria, ſuamve illam adeò ſedulam, & continuam in oratione, ac meditatione vigilantiam) per miſericordiam ipſius, ut eum audire, & exaudire dignetur, atq; pene exanimi, ac mortuo animam, vitamq; reſtituere, reficere, recreare, demumque vitam beatitudinis æternæ conferre, cum augmento ſpiritualis vitæ in hoc tempore, prout exigit ab ipſomet Deo ſuum illud æquiſſimum, ac rectiſſimum, & in ſervandis promiſſis fideliſſimum judiciū ſive mos & conſuetudo, ſeſe erga cultores ſuos gerendi, ſive denique rectiſſima ipſius voluntas. Vel petit etiam ſimul judicii divini, ut legem ſignificat, intelligentiam, putans in hac re vitam ſibi conſtitutam: nec vivere, qui ſine illa vivat. Præterea poteſt, ut cuidam placet Græco *l* quum poſtulat vivificari ſecundùm judicium Dei, intelligi ſignificare ſe rem totam ſicut miſericordiæ ipſius, ita & judicio, voluntatiq; permittere, nempe ut audiat pro ſua miſericordia immenſa, & quatenus ei placuerit. Idè docet Rickelius, quaſi diceret, inquit, ſicut tu vides, atq; diſcernis te decere, & me indigere: ſicut tu bonū judicas: ſicut tua ſapientia dictat. Egregium Hilarii documentū, ut diſcamus modeſtiam ex tot dictis Prophetæ ſuperioribus, clamore cordis: juſtificationum inquiſitione: cuſtodia teſtimoniorum Dei, continentia juventutis: antelucane meditationis vigiliis: quum nihilominus per hæc omnem in miſericordia Dei ſpem reponat: audiri vocem ſuam ſecundùm miſericordiam roget, & miſericordiam ſecundùm judicium poſtulet: Nos ſi ſemel jejunamus, inquit, ſatisfeciſſe nos arbitramur: ſi aliquid ex horreo domeſticarum facultatum inopi damus: impleviſſe nos juſtitiam credimus: jejunantes ut placeamus hominibus: aut corpora cibis feſſa revelemus, & inter ipſa jejunia, ſtupra, cædes, injurias, odii cogitationes: donantes autem exiguum neſcio quid, dum pulſantem fores noſtras inopem non ſuſtinemus, aut dum bonitatis famam inani & otioſa hominum opinione ſectamur, & deberi nobis, ut audiamus, exiſtimamus. Idem obſervant Græci, qui tot, tantiſque virtutibus florebat, miſericordiam conſequi cupiviſſe, nec abſolutè miſericordiam poſtulaviſſe, verùm juxta utilem, ac fructuoſam ſententiam, & ut in judiciis Dei vitam haberet, viveretque ſecundùm legem ipſius, *ἐννόμως*, & quaſi diceret.

m *Σῇσιν ἐμὴν* [illegible] *ἐπ' εὐδικίῃσιν ἀταρπόν*.
Tuis meam dirige in æquitatibus viam.

Auguſtinus, Proſper & alii ordinem obſervāt inter miſericordiam, & judicium, ut prius auferat Deus à peccatoribus peccatum, pœnamq; ſecundùm miſericordiam, eiſque poſtea juſtis ſecundùm judicium det vitam; & id- B circo eodem hoc ordine dici eidem Deo, *n Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine*. Caſſiodorus & Hugo *judicium* ſumunt, non quo Deus judicabit in futuro, ſed quo parcit ſupplicibus, & ſe damnantes abſolvit. Bruno Carthuſianus arbitratur allegari cum divina miſericordia, merita etiam propria: ut etiam ſecundùm iſta Deus, vivificet, & juſtificet: quod legendo de prima juſtificatione intelligitur ſecundùm merita de congruo, ideſt, per opera facta cum auxilio gratiæ, ſicque diſponentia: de augmento autem juſtitiæ & gratiæ, ſecundùm merita quoque de condigno.

Vocem meam audi.) Alia Pſalteria, & quidam Patres, etiam putatus Hieronymus, *exaudi me, Domine*. Nomen *Domine*, eſt Græcè *κύριε*: ille reſpondens in Hebræo textu eſt propoſitum *ſecundùm miſericordiam tuam, Domine*. Melius vero poſitum eſt ſimplex *audi*: quia eſt etiam ſimplex *ἄκουσον*, & שמעה *ſcimhhah*; verſu autem 145. *ἐπάκουσόν μου*, & ענני *hhhaneni*, quæ indicant audientis reſponſionem, quod eſt *exaudire*. Nihilominus aliquando *audire* idem valet, quod *exaudire*. Humilitatem Davidis C attendit in hoc etiam Ciconia, quod orationem ſuam vocet *vocem*; ſicut appellavit Joannes nomine *vocis* prædicationem ſuam.

Secundùm miſericordiam tuam.) Jam dixi, Hebraicè hìc nomen, *Domine*: quod eſt יהוה *Iehovah* collocari, quod Latinè & Græcè poſitum antea fuerat.

Et ſecundùm judicium tuum vivifica me.) Addita eſt conjunctio ab interprete Latino. *Judicium* modis multis accipi docui, pro æqua ſententia Dei, pro conſuetudine, pro lege, pro beneplacito. *Vitam* item indicavi ſumi, pro temporali, pro ſpirituali, tùm gratiæ in hoc tempore, tùm gloriæ in futuro. Inceſſabiliter, ait putatus Hieronymus, vocis ſpiritualis emittit gemitum, ut ab hac mortalitate in vitam transferatur æternam. Symmachus tranſtulit *ἀναζωωσόν με*, *revivifica me*, quod vel innuit vitam corporis: jam hic quodammodo perditam, ob gravem ærumnam, vel eamdem glorioſè recuperandam, in reſurrectione, vel vitam animæ, quam aut juſtus in beatitudine expectet, aut pœnitens nunc recuperare ſecundùm gratiam velit, ut deinde conſequatur ſecundùm gloriam. Petiit D antea in hoc Pſalmo *vivificari* abſolutè *o*; deinde *ſecundùm verbum Dei p*, *ſecundùm miſericordiam q*, *in via ipſius r*, & dixit quod *ipſum vivificavit eloquium Dei ſ*, quodque *ille vivificavit eum in juſtificationibus ſuis t*: poſtea item repetit ſimilem orationem, ut *Deus propter eloquium ſuum vivificet u*, & *ſecundùm judicium ſuum x*.

Verſ. 150.) Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati: à lege autem tua longe facti ſunt.

HÆC urgens cauſſa tam crebri & magni clamoris, tamque accurati ſtudii circa inquiſitionem, cuſtodiam, ſpem, meditationem, juſtificationum, mādatorum, verborum, eloquiorum Dei; & cur vivificationem flagitaverit; quoniam cogebatur perſecutionem pati ab iis, qui continuos in ſuamet iniquitate faciebant proceſſus, & conſequenter longius diſcedebant à lege, ac legislatore Deo, utrumque contemnentes & offendentes, ac proinde ipſa vita ſeipſos privantes; quæ conſiſtit in Deo, & cuſtodia legis: qua nimirum ex te plus capiebat doloris, quam ex privato ſuo damno, & injuria.

a Luc. 21. 34.

b cap. 7. 6.

c 1. de offic. cap. 23. Matutini officii antiquitas.

d pſ. 62. 7.

e cap. 129.

f reg. 37. ex fuſis.

g cap. 8. 6.

h Sap. 6. 15.

i Prov. 8. 34. Obſervatio

k Sap. 16. 28.

Senſus loci.

l apud Agellium.

m Apollin.

Inter miſericordiam & judicium ordo.

n pſ. 100. 1.

Modi multi quibus accipi poteſt judicium.

o verſ. 17.

p verſ. 25. 170.

q verſ. 88.

r verſ. 37.

ſ verſ. 50.

t verſ. 93.

u verſ. 154.

x verſ. 156.

Senſus loci.